



**Dissertationes duae, quarum prior de S. Scripturae in rebus
philosophicis abusu, examinat ..., altera dispositionem &
ordinem totius universi & principalium ejus corporum tradit,
sententiamque nobilissimi Cartesii, de vera quiete & vero
motu terrae defendit**

<https://hdl.handle.net/1874/31204>

DISSERTATIONES
D V A E

455
6712
QVARVM PRIOR

De S. Scripturæ in rebus Philosophicis abusū , exa-
minat , 1. An Physicæ genuinum Principium
sit Scriptura ? 2. An hæc de rebus naturalibus
loquens accuratam semper veritatem , an potius
sensum & opinionem vulgi sàpius sequatur ?

A L T E R A

*Dispositionem & Ordinem totius universi & princi-
palium ejus corporum tradidit , sententiamque No-
bilissimi C A R T E S I I , de verâ Qui-
te & Vero motu Terra defendit ,*

C O N S C R I P T I M

2

CHRISTOPHORO VVITTICHO
S.S.Theol. Profess. ordinario in Illustri Duisbur-
geni Lycéo, ibidemque Ecclesiae Pastore.



AMSTELODAMI,
Apud Ludovicum Elzevirium ,
C I O C L I I I .

D I S S E R T A T I O N I S

D E

V S V E T A B V S V S C R I -
P T V R Æ I N P H I L O S O -
P H I A N A T V R A L I

C A P V T I.

*Ponitur Status controversiae in se-
quentibus decidendæ.*

I.  Vmmae est necessitatis, ut in scientiarum constitutio-
ne non tantum propria &
vera cognoscendi princi-
pia, quibus scientia innita-
tur, & ex quibus Conclusiones suas deducat,
habeamus perspecta: Sed & insuper iis ita
utamur, ut sola genuina acceptemus, aliena
iis non admiscendo, si cognitionem so-
lidam acquirere allaboremus.

II. De Naturali Philosophia hactenus
ferè constat inter omnes, ejus Principium
esse Lumen rationis, menti nostræ à prima
Creatione inditum, cuius recto & legitimo
usu fieri potest, ut in cognitione rerum na-
turalium liceat ita procedere, nihil admit-
tendo nisi quod cum eo conveniat, ut, et si

A

non

non omnium rerum naturalium acquiramus cognitionem , nobis queamus cavere ne in errores incidamus.

III. Sed quoniam sunt , qui huic principio agnito aliena adjicere conantur , statuentes in censum Principiorum Physicarum etiam admittendam esse Sacram Scripturam , operæ pretium erit , despicer , num Sacrae Scripturæ conveniat , ut dicatur fons , ex quo rivuli sapientie humanae deducantur ; id quod præsenti tractatu conabimur determinare.

IV. Sunt autem ii, cum quibus hîc nobis erit negotium , in duplice differentia ; quidam existimant , eò usque tantum Scripturam Sacram esse Principium Naturalis Philosophiæ , ut ubique loquitur de rebus naturalibus , illa quæ de iis dicit , censi debeat accuratè dicta , taliaque quibus firmiter quis in demonstrationibus Physicis inniti quæat , alienum existimantes à Spiritu Sancto , si dicatur , eum in Scripturis aliquando potius spectare communem opinionem à sensibus haustam , eamque sequi , quam accuratam Veritatem . Alii ulterius procedunt , statuentes ita Scripturam esse Philosophiæ naturalis Principium , ut integra Physica ex ea possit educi , ac proinde Physicas Mosaicas , Christianas , Sacras , &c. in lucem ediderunt ; quam sententiam

tentiam seellantur Casmannus, Danæus, Vallesius & alii.

V. Nos, prout æquum est fieri ab omni Christiano, Scripturæ autoritatem summam cum reverentia suscipimus, libentissimè nos ei subjicientes, firmiter credendo, salutarem de Deo & divinis notitiam in ea sufficienter esse comprehensam, ut *homo Dei* possit esse *perfectus* ad omne bonum opus instructus. De cætero firmiter sumus persuasi, Scripturam sæpiissimè de rebus naturalibus loqui, ut apparent, non uti sunt, si *ær eis et aer Philosophicam spectet*, adeoque non posse ex ea cognitionem Philosophiae Naturalis hauriri.

VI. Vtrumque evincemus argumentis evidentissimis, quæ fidem factura esse speramus lectori attento, & rem sine affectibus & præjudiciis pensiculanti. Prius igitur demonstrare aggredimur, quod Scriptura sæpiissimè loquatur secundum opinionem vulgi, quo evicto altera Conclusio tanquam Consectarium aliquod facile sequetur.

VII. Constituere autem hic nos oportet, quid sit illud, quod venit in quæstionem, ut terminos ritè intelligamus, ne locus aliquis concedatur calumniæ. Itaque, quando dicimus Scripturam sæpiissimè loqui de rebus naturalibus, secundum opi-

nionem vulgi, non secundum accuratam rei veritatem, sciendum est, 1. *vulgi opinionem* vocari, non eo sensu, quasi tantum vulgus sequatur sensuum ductum & apparentiam externam, ac si hoc non etiam sè pè fiat ab aliis, qui suprà vulgus sapere cupiunt; sed denominationem fieri à potiori five multitudine, & intelligi opinionem tallem, quæ fundata est super apparentiis sensuum & præjudiciis, quicunque etiam sit, qui eam teneat, five nomen eruditum mereatur, five ad inferiorem censem pertineat.

VIII. 2. *Loqui* dicitur Scriptura secundum opinionem vulgi, hoc est, uti illis formulis, quibus vulgus suam opinionem exprimit, five hoc fiat per terminos simplices, five per complexos: at non ideo etiam Sp. S. hanc opinionem suam facit, sed id quod more recepto & formulis è trivio desumptis profert, rectè intelligit, prout est fons omnis Sapientiæ. Quemadmodum & Astronomi utuntur formulis similibus ab apparentiis & præjudiciis sensuum derivatis, non tamen propterea illa præjudicia sua faciunt, uti in refutatione Objectionum plenius patebit. Interim non vult Sp. S. in Scriptura nudam veritatem circa res naturales, quas optimè cognitas habet, manifestare, sed eam in medio relinquit, permittens interea literatis hominibus, ut locutiones tales

DISSERTATIO I.

5

Iles conferant cum Philosophia, & inde numeri accuratae sint, num vulgares discant. Loquitur igitur Deus cum vulgo, sed non cum eo sentit, & ita sponte facit, quod hominibus faciendum esse, Logica præscribit, quemadmodum est in Proverbio: *loquendum cum multis, sed sentiendum cum doctis & sapientibus.* Et Aristoteles lib. 2. Top. cap. 2. Προσαγόρευτον ταῖς ἴνομοῖς τὰ μέγιστα καθάπερ οἱ πόδαι: Appellare nos oportet res nominibus, sicut vulgus appellat.

IX. 3. Vtitur autem Scriptura in isto casu tropo Rhetorico, qui vocatur Metonymia Adjuncti, opinionem hominis pro ipsa re ponendo, Adjunctum, Occupatum pro Objecto circa quod occupatur. Ita statuit Glassius Rhet. sacrâ p. 62.

X. 4. Notandum etiam est, tûm demum Scripturam sive Spiritum Sanctum in Scriptura loquentem se accommodare vulgo, quando præjudicia quædam de rebus naturalibus per sensus hausit: at in iis rebus de quibus vulgus per sensus nihil cognovit, adeoque nihil judicat, loqui aliquando ex rei veritate, ut quando Ecclesiastes cap. 1. de fluminum ortu loquitur.

CAPUT II.

*Aliquot argumentis sententia nostra
Veritas ostenditur.*

I. **V**ideamus nunc, quibus argumentis sententia nostra, quæ statuit, Scripturam sape loqui ex opinione vulgi & secundum apparentiam, non secundum exactam veritatem, queat stabiliri. Ac primò quidem habemus expressum mandatum Esaiæ datum, cap. 8. ut scriberet stylo humano, hoc est, talis scripturā quam quilibet possit legere, vel secundum modum qui erat in usu, vel juxta stylum communem & consuetudinem, interpretibus Belgis. E. non debebat aliter loqui, quam verbis quæ à quovis intelligi possent. Similis ratio est aliorum scriptorum *Georgij*, ubi enim communis est causa, id quod dictum est uni, omnibus dici intelligendum est. Non potuissent autem intelligi, si de rerum natura semper uti est subtiliter & accuratè fuissent locuti. Hæc Sententia est Calvini, qui in Commentario in Genesios cap. 1. v. 16. ita notat:

*Quia Moses non minus indoctis & rudi-
bus, quam doctis ordinatus erat Magister,
non aliter potuit partes suas implere, quam
si se demitteret ad crassam istam rationem.*

Si de rebus vulgo ignotis locutus fuerat, causari poterant idiotæ & altiora hæc esse captiuæ suo. Denique cum hic Sp. Dei promiscuam omnibus scholam aperiat, non mirum est, si ea maximè deligit, quæ possunt ab omnibus intelligi: Hæc autem dicit, quando declarat, quomodo Moses Lunam referat inter Luminaria magna, quæ secundum Astronomos à stellis fixis magnitudine longè superatur, ostenditque respectum haberi ad apparentiam sensuum nostrorum.

I I. Sed promita hæc est exceptio: Si Scriptura tradit alias res multò difficiliores, de iisque loquitur ex rei veritate, nihil morans hominum imbecillitatem & captum: Ergo ratio illa est nulla, ut hæc in explicatione rerum naturalium rationem debeat habere captus & imbecillitatis hominum. Facere autem illud Scripturam, satis exinde apparet, quia mysteria omnem rationis captum excedentia tradit; idem manifestum est ex prophetiis, in quibus multa, quæ à vulgo non intelliguntur, multa quæ ne quidem à doctissimis interpretibus explicari potuerunt ante eventum; liquet etiam ex Chronologicis & aliis non paucis in Scriptura intellectu difficultibus.

III. *Resp.* I. Magna hæc est diversitas, quæ facit ut Majoris Propositionis nulla sit connexio. Nam primò, si spectemus myste-

ria, de iis vulgus antehac nulla præjudicia formavit, cuin quibus pugnent, imò nihil quicquam de iis cogitavit, itaque quando proponuntur à Scriptura, ab hominibus idiotis illorum $\pi\eta$ creditur propter au-
thoritatem & veracitatem divinam, de $\pi\eta$
 $\Delta\alpha\pi$ vix ab iis cogitatur. Sic circa mysteria
Trinitatis, & Incarnationis &c. vulgares
homines vix cogitarunt de Personalitate,
an eâ multiplicatâ Individua etiam debeant
multiplicari, an verò fieri possit, ut uni es-
sentiæ individuæ plures personalitates con-
veniant. Similiter non cogitarunt, an Indi-
vidua essentia possit carere personalitate,
& $\kappa\alpha\pi\delta\sigma\pi\tau\omega\pi$ fieri? hæc & similia ne qui-
dem in mentem ipsis veniunt, sed sufficit
iis credere, quod sint tres Personæ, quarum
quælibet sit Deus, nec tamen sint tres Dii,
quoniam hæ personæ sunt unum essentiâ.
Quod autem Philosophos Ethnicos attinet,
illi in Lumine Rationis nihil inveniunt,
quod his verè contradicat, quemadmodum
à nostris contra Socinianos ostendi solet. At
de rebus naturalibus vulgus contrarias sen-
tentias veritati sæpè concepit, illasque tam
firmiter habet radicatas, ut putet à natura
se de iis esse edictum, adeoque quicquid eis
repugnat, pro commimento soleat habere;
quod si ergò Scriptura veritatem harum
explicare debuisset, facile etiam ab aliis
cre-

credendis populum rudem avertisset. Circa Chronologica, prophetias & similia, quia haec non sunt ad salutem cognitu necessaria non ita versatur vulgus, & quando hic in Scriptura difficultia quedam invenit, ea prætermittit, tanquam captum suum superantia, nihil de iis judicando.

I V. *Resp.* 2. Altera ratio diversitatis est, quod mysteriorum cognitio sit fidei, quæ propterea debebant in Scriptura tradi, & quamvis essent difficultia, tamen fide admitti debebant: at res naturales pertinent ad scientiam, & citra salutis periculum possunt ignorari: Omittuntur ergo, ne, si earum veritas, quæ sensuum cognitioni, & apparetiae saepius aversatur ac proinde incredibilis videtur, vulgo doceretur, homines, qui de rebus naturalibus vix aliam, quam sensualem habent notitiam, turbarentur & ita etiam ab aliis quæ in Scriptura traduntur revelata averterentur. Itaque nostra mens haec est, sapientissimè Spiritum Sanctum egisse, quod omittendo ea quæ sunt levioris momenti, vel contentus notitia vulgari noluerit ab omnibus revelatis homines avertere. Cum autem dicimus, Sp. S. propter res fidei, non declarasse res naturales, nemo hoc applicare debet ad res fidei, cum Scripturæ sit ea tam accuratè tradere, quam ad salutem adipiscendam requirebatur.

V. Sequuntur nunc duæ exceptiones quæ à Clarissimo Schoockio lib. 4. de Scepticismo c. 9. proponuntur; Is ergo inter fontes solutionum hunc proponit secundum, p. 405. *Frustra sunt, quicunque existimant Spiritum Sanctum de rebus naturalibus loqui ex mente errantis vulgi potius, quam ex rei veritate; quod si hoc modo loquetur, minus fidem promovereretur. Hoc enim si verum foret, pariter sequeretur homines de rebus naturalibus philosophantes magis sufficere ad ingenerandam fidem in aliis hominibus, quam ipsum Sp. Sanctum.*

VI. *Resp. Caussam adduximus ob quam futurum fuisset, ut, si Sp. Sanctus locutus fuisset de rebus naturalibus uti sunt & auctoritas, non uti apparent, illa dicta Sp. Sancti pro incredibilibus à vulgo habenda fuissent, hanc nempe, quod de rebus naturalibus plerumque vulgus contrarias sententias veritati conceperit, easque pertinaciter fovet, tanquam tales, de quibus à natura esse edoctum putat. Quamvis itaque absolutè loquendo æquè Sp. Sancto immagis assensus deberetur, si aliquid diceret de rebus naturalibus, præjudiciis sensuum repugnans, ac hominibus, qui de iis aliquas veritates demonstrant: tamen quia homines supponunt ea, quæ dicunt clarissimis demonstrationibus esse incere, omnianque obstatula.*

stacula & præjudicia sensuum circa has vel illas res naturales formata removere, (si enim non faciant nullo modo iis assensus præbendus) non mirum si potius demonstrationibus accuratis, aliquis à præjudiciis liberatus & necessariis prærequisitis ad demonstrationem cognitu necessariis rectè præimbutus, assentatur, quām præjudiciis occupatus & existimans ea quæ à Sp. Sancto dicuntur lumini naturali contrariari, testimonia Spir. S. Æquè quidem imò majori jure fides Apostolis debita fuisset, si in citationibus V.T. nunquam secuti fuissent versionem 70, quām viris doctis ostendentibus, ei versioni non ubique cum fontibus convenire, at mox videbimus ex Riveto & Voetio placuisse Sp. Sancto Apostolos dirigenti sese hīc accommodare hominibus, ne illi turbarentur.

VII. Eodem possunt referri Clarissimi Viri verba sequentia: *Nec audiendi sunt, qui sibi pro afferendo duro & periculoso commento, humana rationis pariterque sensuum infirmitatem imaginantur. Nam, si omnes Scripturae filii (Atheos & Libertinos tamquam profanos à sacris his arcere fas est) qui invitantur ad considerationem rerum supernaturalium sive miraculorum, ea intellectu suo apprehendere possunt, cur non magis apprehendant naturalia? Imò cum*

Scriptura proponat ea, que acciderunt circa naturalia tanquam extraordinaria & miraculosa, cur non credendum, eam de rebus naturalibus ex prescripto veritatis loqui, ad hoc ut miraculosa & supernaturalia, immo contra-naturalia ex naturalibus intelligi possint?

VIII. *Resp.* Argumentum non procedit à tractatione miraculorum ad tractationem & explicationem rerum naturalium, ob diversam rationem miraculorum & rerum naturalium. Nam 1. miraculorum narratio facit ad confirmandam fidem & autoritatem Verbi Divini, non ita rerum naturalium explicatio. 2. miracula quando praesentia sunt, sensus circa ea fidem possunt juvare, atque ita facilius creduntur & cognoscuntur: ita ex.gr. quando divisum fuit mare rubrum, illam divisionem factam esse sensus cognoverunt; quando vero facta sunt, & tanquam facta creduntur, et si tunc sensibus usurpari non queant, sensibus iteram ordinarium naturae cursum percipientibus, nihil tamen impedit, quin credi possit cursum naturae aliquando fuisse mutantum, eamque mutationem sensibus perceptam fuisse, quin immo miracula, quando fiunt, sensibus apparere debent: fiunt ergo quidem contra naturae ordinem consuecum, non vero contraria sensuum apparentias:

at cum

at cùm accurata veritas circa res naturales, ut plurimum repugnet sensuum apparen-
tiæ, quæ à vulgo pro ipsa veritate recipi-
tur, manifesta satis est ratio diversitatis in-
ter miraculorum & rerum naturalium tra-
ctationem à Scriptura institutam. 3. non
tenebatur Scriptura de *rebus naturalibus*
ex præscripto veritatis loqui, ad hoc ut mi-
raculosa & supernatura, imò contra-na-
turalia ex *naturalibus* intelligi possint, nam
ad id sufficiebat cognitio rerum naturalium
qualis per sensus haberi potest, adeoque
vulgaris & omnibus communis, & si quid
contra vel præter cursum naturæ à sensibus
notatum fieret, id pro miraculo habendum:
ex.gr. ad cognoscendum miraculum per E-
lisæum factum, ut ferrum enataret, 2 Reg. 6.
sufficiebat vulgaris cognitio, quod ferri na-
tura sit, ut sub aqua mergatur: at unde talis
sit ferri natura, & quæ ratio gravitatis, ad
miraculi cognitionem nosse non fuit ne-
cessarium.

I X. Denique videamus, quid Du Bois
in Dialogo suo Theologico Astronomico
huic argumento aggerat. P. 13. inquit: *Pro-*
bandum esset non dicendum tantum, S. Scri-
pturam tam ruditer & tam crassè loqui, ut
rei ipsius veritas ex verbis erui non possit.
Sit ita, ut in materiis quibusdam, ad modu-
lum nostrum se nobis accommodans, nobis-

cum balbutiat, id sit in materiis gravibus,
 & conceptum nostrum excedentibus, non au-
 tem in Physicis, non in Astronomicis. Licit
 enim S. Scriptura subtilest Astronomia Qua-
 stiones non tractet, in iis tamen qua de A-
 stronomia profert, ita loquitur, ut, nisi præ-
 concepta opinione sententia contraria labo-
 remus, impossibile sit alias ex iis formare co-
 gitationes.

X. Resp. 1. Dedimus rationem ob quam
 fiat, quod Scriptura de rebus naturalibus sæ-
 pè tam crassè loquatur, ut rei ipsius veritas
 ex verbis erui non possit, atque rō dōn pro-
 tulimus, in sequentibus etiam testimoniis
 quibusdam Scripturæ rō ön manifestum
 reddetur. 2. Si concedatur, Scripturam sa-
 cram in rebus gravibus ad modulum no-
 strum se accommodare & nobiscum balbu-
 tare, atque ibi nullum periculum imminent
 Sp. Sanctum arguendi (absit blasphemia)
 mendacii & falsitatis, multò magis hoc
 concedendum est de rebus Physicis & Astro-
 nomicis, cùm hæ non ita sint cognitu ne-
 cessariæ, ut materiae graviores. Et quamvis
 res Physicæ & Astronomicæ captum homini-
 nis absolute non excedunt, attamen exce-
 dent captum hominis idiotæ, præjudiciis
 multis mentem habentis occupatam, & non
 per præbias doctrinas ad ea capienda suffi-
 cienter instituti, quod cum Scriptura no-
 luerit

ueritatem facere, non mirum est, si dicatur eam etiam ipsam veritatem circa res Physicas & Astronomicas noluisse explicare. 3. an in iis quæ de Astronomia profert ita loquatur, ut nisi præconceptâ opinione sententiæ contrariæ laboremus, impossibile sit alias ex iis formare cogitationes, videbimus in Dissertatione sequenti.

X I. Secundum argumentum sit tale: Si singulari prudentiâ Apostoli *προτερουσι*: concellerunt ad tempus à Iudeis observari Circumcisionem, quæ tamen per Christum facta erat non tantum inutilis, sed etiam perniciosa, uti apparet ex epistola ad Galat. 5. 2. *Ecce, ego Paulus dico vobis; si circumcidamini, Christum vobis nihil profuturum,* quatenus illa sua natura, quemadmodum aliae ceremoniæ legales ad Christum veneurum respiciebat; si, inquam, hanc circumcisionem concederunt ad tempus observari, donec Iudaica Synagoga honestè sepeliretur: Ergo multò magis præsumere licet, Sp. S. in iis, in quibus error vel prava opinio non est peccatum, neque cum periculo salutis conjuncta sese notitiæ vulgarium hominum, quorum maxima est pars, accommodare voluisse, donec similiter mundus præsens in quo cognoscimus tantum ex parte, per speculum & per ænigma, sepeliatur. Quemadmodum igitur Circum-

cisio-

cisionis & aliarum ceremoniarum observationem ad tempus concedebant Apostoli, inspirante Sp. S. ne infirmi offenderentur, si adeò repugnantia opinioni suæ præconceptæ, & diu fotæ & adultæ inter Iudæos de legis Ceremonialis absolutâ necessitate, audivissent: ita & Spiritus Sanctus condescendere voluit hominibus simplicioribus, qui opiniones & præjudicia, quæ per sensus hauserunt, pro tam firma habent veritatem, ac si de ea à natura essent edocti, ne illos turbaret, & sic evertere velle videretur lumen naturæ, cui has opiniones adscribunt. Neque est, quod dicas: Non concessisse Apostolos circumcisionem, nisi iis qui ut rem medium habebant: Illi enim qui pro re media eam habebant & planè indifferenti non poterant per ejus neglectum scandalizari. Ergò potius in eorum gratiam fuit facta hæc concessio, qui inter Iudæos eam pro necessaria habebant. Simili modo licet aliquando in praxi sese accommodare præconceptæ hominum opinioni, quando res sine certa perturbatione mutari non potest, ut obtinet ex. gr. aliquando in imaginum toleratione in Templis Papistiarum quarundam ceremoniarum retentione & aliis multis, ubi notatu digna verba Clariss. Maresii in *Judicio de Controversiis Theologicis in Hungaria, &c.* motis: *Censo multa sole-*
rari

rari debere à piis quæ non probent, plurimaque pacis studio multitudini & consuetudini esse condonanda.

XII. Tertium argumentum nobis inde suppeditatur, quod Apostoli in N. T. usi fuerint versione Græcâ V.T. quæ vulgo dicitur & Interpretum, non adeò purâ, sed in multis locis erronea, non tantum iis in locis, ubi correspondet fonti Hebræo, sed etiam ubi ab eo discessit, quod illa tum temporis inter Iudæos fuerit recepta. Dicit hoc Rivetus Isagoges ad Scripturam Sacram p. 137. quæ verba, quia multum faciunt ad nostræ Controversiæ elucidationi, non pigebit adscribere: *Negari non debet, inquit, versionem illam tunc apud Gracos communem Apostolos & Euangeliastas Gracè scribentes sapè usurpasse, aliquando etiam citasse,* VBI DISCREPANTIA QVÆDAM A TEXTV HEBRÆO MANIFESTISSIMA EST, Quia Apostoli & Apostolici Viri in ponendis testimoniis de V.T. non semper verba considerarunt, sed sensum; nec eadem sermonum calcarunt vestigia, dummodo à sententiis non recederent, ut loquitur Hieron. Comment. in Amos. Hanc ergo interpretationem secuti sunt in iis solum rebus, qua nihil per se de veritate fidei derogabant; præsertim cum discessionem à recepta inter Hellenistas editione periculosem

sam & sine fructu Ecclesia futuram animadverterent, Exemplo potest esse Luc. 3. 36. in Christi Genealogia, nomen Kainan secundò adductum, quod in Ebraea editione non est, sed in editione qua Hellenista utebantur. existimant enim Viri docti, visum fuisse Sp. Sancto, cum Historia Euangelii Gracè traduceretur ad gentes manatura (qua narratio nem hanc Luca cum editione Graca fuerant comparatura) illud ERRORI jam recepto condonare, quamvis PRÆTER VERITATEM; quia res sine fructu & cum gravissimo offensionis periculo fuisset conjuncta, si Lucas veritatem historia secutus, præcisè, hoc argumentum vulgo ad charitatem publicam & unitatem Ecclesia labefactandam suppeditavisset. Exstisissent enim MULTI, QVI HAC VNA OCCASIONE MINIME NECESSARIA CVM OFFENSI FVISSENT IPSI, TVM GRAVES TRAGEDIAS ADVERSVS ECCLSIAM ET EVANGELIVM LVCÆ EXCITASSENT. Quæ res Christianis omnibus exemplo est, ut charitati donare discant, quidquid sine detrimento fidei condonari vident oportere, donec res ex veritate emendari possit. Neque enim putandum est, Lucam adversari historia veritati, sed tantum publico ERRORI, QVI TVM ALTIUS RADICATUS ERAT,

ALIQUID INDULGERE AD TEMPUS, & per provisionem (ut dicitur) donec commodior esset de eâ re instituenda sine damno graviore locus. Et quamvis de illa voce Kaiänam aliam foveat sententiam, nostram tamen sententiam dissertissimis verbis afferit. Voetius etiam consentit, qui in disputationibus selectis p. 60. ad Locum Luc. 3, 35. dicendum Kaiänam citari ex versione Hellenistica. Et paulo post: Sed dices, cur errorem tu Interpretum suum fecit Lucas? siquidem error sit, saltem suum non fecit, cum citat integrum illum contextum: citando enim nec improbat, nec approbat versionis nuptiogigula, nec ἀνέλθειν ejus ex professo ad examen revocavit, NE HOMINES versioni illi & secundum eam genealogia assuetos TURBARET. Sufficit illi ad probationem genealogia Christi loca Biblica citasse ex versione vulgata, maximè omnium notâ & receptâ, in primis à Agostopæ illa Iudaica Alexandrina, quam eâ usum fuisse testis est Scaliger in notis ad N.T. Porro versionem illam à Scriptoribus N.T. suo loco relictam, & ex ea omnia ferè loca de verbo ad verbum ita citata (QUAMVIS SEMPER TAM DOCTE AVT ACCURATE VERITATEM HEBRAICAM NON EXPRIMERET) nimis notum est. In instituto & scopo illorum hoc sufficiebat.

Hacte-

Hactenus ille. Quod si ergo tantum conces-
sit Sp. S. errori vulgari, quia nihil per se de-
veritate fidei derogabat, cum tamen per ac-
cidens saltem occasionem derogandi ali-
quid veritati fidei, dare potuerit, quid non
concederet errori de rebus naturalibus, qui
nullo modo fidem potest labefactare?

XIII. Quartum argumentum inde no-
bis de promittitur, quod Scriptura in rebus di-
vinis explicandis, immò ad D E I ipsius na-
turam & attributa exponenda sese planè ac-
commodeat ad captum nostrum & per res
sensibiles istas res spirituales & intelligibi-
les repræsentet. Inde factum est, non tan-
tum, quod Christus utitur variis parabolis
& similitudinibus à rebus terrenis desum-
tis, ad res cælestes nobis delineandas, unde
ipse Nicodemo Ioh. 3, 12. *Si terrena dixi
vobis, & non creditis, quomodo si dixerim
vobis cælestia, credetis?* sed etiam, quod DEO
membra varia attribuuntur & corpus hu-
manum, per locutiones quas Theologi vo-
care solent Anthropopathicas; Maimonides
More Nebochim dicit, in his Scripturam
loqui secundum linguam filiorum homi-
num. Autor ille inligni laude dignus, &
reliquis Rabbinis longè est præferendus,
unde Casaubonus in Exercit. ad annales
Baronii tali eum ornat elogio: *Moses Mar-
monides (qui & Moses Hægyptius dicitur)*
solida

solide atque ingentis doctrina vir, de quo
 videor mibi posse id verè dicere, quod Plinius olim de Diodoro Siculo, primum illum
 inter suos desiisse nugari. Cunæus verò de
 Repub. Hebr. lib. cap. 2. his verbis tantum
 non ad cælum tollit: *Est in admiratione*
hominum scriptor maximus, Rabbi Moses
ben Maimon, is, qui Thalmudicam doctri-
nam sepositis nugamentis feliciter complexus
est divino illo opere, quod ירמיהו ורואה appellat. Nunquam ita magnificè quidquam de
 illo auctore dicemus, quin id virtus superet
 ejus. Fato enim quodam & sorte nascendi
 primus solusque in illa gente rectè intellexit,
 quid illud sit, non ineptire. Illius ductum
 hic sequens, quare scriptura his vel illis an-
 thropopathicis locutionibus fuerit usa, o-
 stendam. In genere is docet part. 1. cap. 3.
 Legem loqui linguâ filiorum hominum,
 quia hæc ratio commoda & facilis est, ut ab
 ea incipient pueri, mulieres & communis
 plebs, in quorum viribus non est, res se-
 cundùm veritatem apprehendere. In specie
 verò part. 1. cap. 26. quia vulgus hominum
 non apprehendunt ab initio cogitationis
 Entitatem vel Essentiam, nisi in rebus cor-
 poreis (& quicquid non est corpus vel res in
 corpore existens, imò, quicquid non est
 crassum corpus, ut fortiter sensum moveat,
 quia faciunt sensus suos judicem cognoscen-
 di an-

di an res existant, an non, non creditur ab iis esse vel existere) describitur Deus per attributa & nomina corporea ut doceatur ipsum esse Ens. Et cum omnia Corporea attributa imperfectionem quandam in se & suâ naturâ involvant, saltem divisibilitatem & mutationem, est tamen quædam differentia inter ea, nam quædam imperfectionem ex consensu & opinione omnium atque etiam vulgi denotant, alia verò imperfectionem inferre cernuntur acutius demum cernentibus, Scriptura quidem ea Deo non tribuit, quæ consentientibus omnibus imperfectionem important: at reliqua de Deo prædicare non veretur. Vnde motus & Quies Deo tribuitur quando dicitur *Ascendere, Descendere, Stare, Sedere, Habitare, Ambulare*, quoniam non capit vulgus, quomodo aliquid vivere possit sine motione, (cum tamen motus non sit de Essentia vitæ generaliter acceptæ, sed accidens ab ea separabile): Itaque motus ad vitam Dei designandam à Scriptura saepius adhibetur. Sic sensus Deo attribuuntur, *Vitus, Auditus, Odoratus*, quia non tantum vulgus, sed etiam multi viri docti ex præjudicio infantiae nondum deposito, supponunt: *Nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu*, quod quidem absolute est falsum, ut fuisus posset demonstrari si id ratio instituti

stituti nostri ferret. Itaque ad denotandam Dei cognitionem Intellectualem sensus ipsi adscribuntur. Eadem de causa loquela Deo attribuitur ad significandam influentiam ipsius in res creatas, unde sàpè dicitur locutus Prophetis, quando tantùm menti ipsorum singulari quodam modo, ea quæ dicere debuerunt, indidit; quia vulgus non intelligit, quo modo aliquid ex unius hominis animo in alterum transferri possit, nisi per sermonem. At quia ex communi hominum sententiâ aliqua imperfectio est in ægrotando, dormiendo, eò quod manifestè imbecillitatem & defatigationem præsupponant, item in edendo & bibendo, quia à siti & fame ea oriri necesse est, ea Deo nullibi in Scriptura tribui legimus. Ita etiam reliqui duo sensus, *Gustus & Tactus* Deo non tribuuntur, quia hos duos tantùm per contactum fieri vulgus supponit, tres alias sine contactu, quamvis verè doceat Aristoteles 3. de Anima cap. 13. *nullum sensum absque tactu haberi posse, corpus enim animalis omnis haberi vim sentiendi tangendo.* Deum verò non conjungi cum corporibus, per contactum corporalem, verè quidem existimant, sed ex pravo principio, quia videre Deum nequeunt: male enim colligunt: Ego non video hoc vel illud: Ergò non est. Similiter *Humeri* Deo non attribuun-

buuntur, quia communiter adhibentur portandis oneribus, quibus summoperè homines defatigantur: multò minus Organa illa, quæ cibis & alimentis capiendis inserviunt. Nam illa etiam in principio cogitationis manifesta sunt imperfectionis tigna & indicia: Ex quibus apparet, tantoperè in his Anthropopathiis rationem haberi opinionis vulgi, ut id, in quo perfectionem constituunt, licet erroneè, Deo attribuitur, contrà verò ubi imperfectionem apprehendunt, ab illo removeatur. Ad hæc notandum, quod Scriptura Deum proponat tanquam hominem mutabilem, & flexibilem, eò quod hoc in precibus tacitè quasi folet supponi, cum tamen respectu suæ prævidentiæ, secundum quam omnia quæ fieri debent, ab æterno disposuit, sit planè immutabilis. Ex his ergo constat, primò non alienum esse & absurdum, si dicamus Scripturam accommodare se ad captum etiam à erroneam opinionem vulgi. 2. cum locutiones istæ de Deo innitantur vulgi præjudiciis & erroribus, unde majus periculum videbatur imminere, hoc nempe, ut homines Deo corpus tribuant, quemadmodum & ex mala interpretatione horum locorum ab Audianis & Anthropomorphitis factum, multò potius Deum hoc facturum fuisse, circa res naturales, circa quas si erremus,

error ille periculo caret, est existimandum.

XIV. Neque hoc argumentum refutatur à Clarissimo Schookio, qui lib. 4. de Scepticismo capite dicimonono p. 407. tria ad hoc argumentum respondet: 1. inquit, *quanta non intercedit distantia inter Deum Creatorem & res naturales ab eo creatas.* Quoniam Deus ut infinitus, excedit sphaaram intellectus nostri, Spiritus Sanctus nobiscum quasi balbutire cogitur, eumque cuius faciem intueri non possumus, quasi à tergo nobis proponit, juxta ea ipsa, que Mosi acciderunt Exodi cap. 33. Sed alia planè ratio est rerum naturalium, quamvis enim eas plenissimè & sufficientissimè cognoscendo non queamus perspicere (ut subsequenti capite distinctius fusiisque ostendemus) interim tamen eas ipsas quod ad cognitionem proportionatas esse, ostendunt illi ipsi, cum quibus hic nobis negotium est: Sp. Sanctum enim in Scriptura loquentem cum in finem nituntur circumscribere, ut submoto illius testimonio, tanquam sibi adversante facilius suam thesin dictari, aliisque persuadere queant. 2. Hac, ut Deo tribuuntur Metaphorice, & pro Metaphora ratione explicari debent, sic non est existimandum (quemadmodum Audiani & Anthropomorphites somniabant) aliquid horum Deo convenire propriè & formaliter, sed duntaxat secun-

dum effectum. Et uti tropus non implicat mendacium, ita hac ipsa convenienter explicata nihil falsi continent: siquidem ha-
cutiones frequentantur, ut operationes Dei
verè describantur, nobisque convenienter
proponantur, quod præ caligantibus mentis
oculis, supremum illud Numen tale, quale
illud in se est, intueri non queamus. 3. Quia
verò consequentia ab his locutionibus ad
eas, qua in Scriptura de rebus naturalibus
frequentantur? Dato in hisce locutionibus
similem notandum esse scopum hoc solum se-
quetur, allegoricè duntaxat & obscurius
naturam rerum naturalium in Scriptura
proponi, neutquam verò res naturales co-
gnoscendas proponi secundum erroneum ju-
dicium: nisi quis pariter dicere voluerit Deo
membra & affectus & similia tribui secun-
dum erroneum vulgi Iudicium. Pariter
quippe dixeris ex vulgi Iudicio Deum in
Scripturâ ut avem proponi, quod tribuan-
tur eidem ale atque penna. Ps. 17. v. 8. Ps.
91. v. 4. Aug. ep. 3. ad Paulinum. Quia de
membris assidue Scriptura commemorat, ne
quisquam secundum carnis hujus formam
& figuram non esse crederet similis Deo:
propterea eadem & alas Deum habere di-
xit, quas utique nos non habemus. His Clari-
fissimo viro visum fuit infringere vim hu-
jus argumenti.

X V. Ad quæ nos sequentia reponimus,
 quibus existimamus argumentum nostrum
 satis roborari. 1. fatemur distantiam esse
 magnam inter Deum & res naturales, quippe
 infinitam; concedimus etiam hanc u-
 nam esse caussam ob quam Deus nobiscum
 balbutire velit, quia Deus ut infinitus ex-
 cedit sphæram intellectus nostri: Sed quia
 etiam ad Scripturæ scopum spectabat, Dei
 naturam nobis explicare in tantum, quan-
 tum hoc Salutis necessitas requirebat, non
 itidem rerum naturalium naturam; potior
 etiam erat ratio, cur Scriptura de Deo lo-
 queretur secundum rei veritatem, quo-
 que sese extenderet infirmus noster Intel-
 lectus. Itaque, nisi alia accederet ratio,
 quam nos dedimus, *quod Scriptura debeat
 promiscuè legi ab omnibus, quorum major
 pars variis præjudiciis est occupata,* potuif-
 set Scriptura omisisse locutiones tales an-
 thropopathicas, quas inniti ostendimus
 vulgi præjudiciis, & Dei describere natu-
 ram, quod sit spiritualis, æterna, perfectissima,
 immensa &c. quemadmodum aliis in
 locis facit, ex quibus Theologi hæc attri-
 buta deducunt & probant: hæc enim ut ap-
 prehendat & cognoscat, in quantum opus
 est, infirmus noster intellectus, nihil repu-
 gnat. 2. illi cum quibus negotium sibi esse
 dicit Vir Clarissimus, nihil aliud moliun-

tur, quam ut ostendentes dogma de Terræ delatione non esse contrarium Scripturæ, absurditates amoveant, quibus solet gravari, & sic Lectori aditum faciant ad perpendendas rationes, quibus firmissimis nititur. 3. Verum est hæc Scripturæ dicta ~~Georges nūs~~ esse intelligenda & Metaphoricè explicanda per similitudinem effectuum; quin tamen superstruantur fundamento erronearum vulgi opinionum exinde non evincitur, cùm fusè à nobis ostensa sint talium locutionum fundamenta. Non ergo debent dici Mendacia, at & concedendum erroribus inniti; nec tamen ideo Spiritus S. errores confirmat, nec suos facit, sed tantum non refutat, & ad illos se accommodat, cùm non sint damnosí, ut cap. 1. art. 8. à nobis observatum. Quamvis autem pecarint Audiani & Anthropomorphitæ Deum ut corporeum concipiendo, & minus rectè fiat, si Deus ita concipiatur, quotusquisque tamen est, qui non, nescio quid extensi, in conceptu Dei implicet? De vulgo hoc est certum; quamvis in actu signato neget, & sciat non debere fieri, in actu tamen exercito fieri særissimè experientia docet. De multis etiam eruditis idem dixero, paucis, qui diuturno exercitio mentem suam asuefecerunt ad accuratos conceptus formandos & bene distinguendam naturam

sub-

substantiæ corporeæ à natura substantiæ intelligentis, exceptis; quam tamen imbecillitatem Deum hominibus condonaturum confidimus. Et hæc ad secundam responzionem Dn. Schookii sufficiunt.

4. Quænam sit consequentia in nostra ratiocinatione attentus lector deprehendet ex fine art. 13. hujus capituli. Nec sequitur, Deum ut avem concipi à vulgo, eò quod ipsi tribuantur alæ. Sed vulgi celeritatem actionum concipere solet per celeritatem motus, hanc autem alarum ministerio optimè fieri solere existimat, ut multæ vulgares locutiones testantur, ex. gr. quando dicimus in lingua germanica, *Er sauffet so geschwind als wenn Er flöge/ item, überhitt fliegen:* Sic Galli: *à la volée,* Latini *avolare,* *ad volare,* & apud Poëtas multa reperies exempla in quibus per alas & volatum designatur celeritas. Sic Ovid. 10. Metamorphoseon, de Atalanta Virgine: *passu volat alite Virgo.* Inde factum est, ut Mercurio nuncio Deorum alas attribuerint. Confirmatur nostra sententia à Celeberrimo Vofatio lib. 1. de Orig. Idolatriæ p. 52. *Ad angelicam hanc potentiam, qua intellectus ac voluntatis est Instrumentum, incredibilis etiam velocitas refertur. Atque ob hanc attributam iis alæ. Ita Cherubim in Exodo cum aliis factæ. Iesaias ait Seraphim ad se volasse.*

Daniel etiam & Ezechiel ad volantes conspexere. Hoc Chrysostomus homilia ἀνγελάνπις fieri ait per συγγέγεναν, q. d. condescensionem; quia describuntur, non quales sunt naturā; sed prout FACILIUS A SIMPLICIBVS CONCIPIVNTVR & intelliguntur. Et paulò post: Nempe quomodo & ventis ad earum velocitatem denotandam, penna tribuuntur. Vnde & Deus dicitur Psalm. 17. & 103. volare & ambulare super pennis ventorum. Ac Poëtis similiter alati singuntur, ut liquet ex Ovidio, Silio, Iuvenale, Etiam Borea Filii Calais & Zethus, οἰσολοὶ Apollodoro. Imò non alia de causa quam in celeritatis symbolum, quā ventos referrent, Ælius Verus Caesar cursoribus suis, tūm Noti, Borea, alierumque ventorum nomina imponebat; tūm alas etiam apponebat, ut auctor Spartanus. Quamobrem non dubito, quin, quod Angeli referuntur alati, id maximè pertineat ad velocitatem indicandam. Itaque & Deo alæ tribuuntur & volatus ad velocitatem actionum ipsius denotandam, quam vulgus concipere solet per volatum, latetque etiam in citatis his Scripturæ locis locutio, quæ fundamentum habet in vulgi præjudicio.

XVI. Quintum argumentum. Quod si adeò absurdum sit, ut multi putant, Scripturam.

pturam loqui aliquando ex opinione erro-
nea , non ex stricta rei veritate , quid dice-
mus de argumentis ad hominem , quibus
sæpè Christus & Apostoli fuerunt usi , in
quibus ex assunitis in se falsis principiis , sed
ab iis , cum quibus iis erat negotium , habi-
tis pro veris , veritatem aliquam educunt ?
quod quidem , si tantum piaculum esset ex
opinione erronea loqui , nunquam fuisset à
Christo & Apostolis committendum . Vnum
vel alterum nobis sufficiet . Matth . 19. 16 ,
17. Et ecce quidam accedens dixit ei : Do-
ctor bone , quid boni faciam , ut habeam vi-
tam aeternam ? Ipse vero dixit ei : cur me
dicas bonum ? nullus est bonus , nisi unus
nempe Deus . Si vis autem ad vitam ingre-
di , serva mandata . Horum Christi Verbo-
rum sensus omnibus benè consideratis , est
iste : Parcius utere hoc titulo Boni , qui so-
li Deo verè & propriè convenit , & quan-
quam aliquo modo etiam Creaturis tribui
possit , non tamen eis tribui debet sine re-
strictione , si non expressâ , saltem tacitâ :
quod cum à te non fieri cognoscam , neque
tamen me habeas pro Deo , monendus pri-
mò fuisti de hac compellatione . Quando-
quidem autem existimas te faciendo vitam
aeternam posse consequi , fac & observa
mandata à Deo præscripta . Quod si Logicè
verba hæc Christi resolyas , deprehendes

duplex in iis latere argumentum ad hominem. Primum: Omnis verè propriè & sine restrictione dicendus bonus, est Deus: Atqui Ego non sum Deus, secundùm te. E. non sum ita bonus sine restrictione, neque talem me appellare debes. Secundum. Cui per justitiam propriam est acquirenda vita æterna, is debet servare mandata. Atqui tibi per Iustitiam propriam est acquirenda vita æterna (quæ erat opinio communis inter Iudæos ex Pharisæorum doctrina derivata) E. debes servare mandata. In utroque argumento hoc Minor est falsa absolu-
tè loquendo, sed vera erat ex mente istius Iuvenis: eam igitur Christus assumit tan-
quam veram, & exinde in primo coarguit istum Iuvenem lapsus in compellatione. In altero satisfacit quæstioni ab illo proposi-
tæ. Quamvis autem dici possit, ita indirec-
tè Christum ostendere voluisse falsitatem istarum propositionum, fieri tamen pote-
rat, ut hoc iste Iuvenis non satis asseque-
retur, ita ut si secundum istorum hominum sententiam lingua Christi fuisset dirigen-
da, ex professo & directè debuerit hanc Mi-
norem refutasse.

XVII. Alterum Exemplum est 1 Cor.
15,29. *Alioqui quid facient, qui baptizan-
tur super mortuis? Si omnino mortui non
fuscauntur, cur baptizantur super mortuis?*

Variæ

Variæ sunt hujus loci interpretationes, quas recensere & quid in unaquaque difficultatis vel probabilitatis lateat enucleare non est hujus loci. Videat qui voluerit Musculum, Calvinum, Martyrem, Pareum in hunc locum. Celebriores autem interpretationes sunt duæ, quarum prior est: respxisse Apostolum ad morem pravum tunc temporis usitatum, quo factum, ut different multi baptismum ad mortem usque, & tum demum voluerint baptizari, cùm illam præsentirent, ut ita abluti à peccatis cælum ingrederentur, qui inde dicti sunt Clinici: altera, rationem habuisse Apostolum alterius cujusdam consuetudinis in prima Ecclesia receptæ, qua factum, ut si quis morte præventus sine baptismo deceperat, alter in ejus locum fuerit substitutus, qui loco defuncti baptismum susceperebat. Vtram autem ex his sententiam eligas, erit Argumentum hoc Apostoli ad hominem è principio falso desumptum, quod si redigas in formam, tale erit: Baptizari pro mortuis eumque baptismum approbare est tacitè confiteri mortuorum resurrectionem: At sunt inter vos qui baptizantur pro Mortuis, vosque eum baptismum approbatis. E. eò ipso confitemini mortuorum resurrectionem. Factum itaque illegitimum tam secundum priorem quam posteriorem

B 5 senten-

sententiam assumitur, ac si legitimum esset, ex eoque scopo Apostoli inserviens aliquid infertur. Nec de hoc Exemplo idem dici potest, quod de priori: neque enim directe neque indirecte hanc Opinionem Apostolus voluit refutare, sed eam omnino pro vera assumit.

XVIII. Sextum Argumentum. Neldius qui ex Aristotele Logicam accuratius eruit, quam ulli alii Peripatetici, inter 55 differentias Analyticarum & Dialecticarum rationum hanc facit decimam nonam in suo prato Logico p. 361. *In Dialecticis rationibus explicandis*, inquit, *non receditur à communi & vulgo recepta loquendi consuetudine*, etiam si verba non semper ipsis rebus convenient, Ideoque *εργον γραπτόν τοῖς ἀναγοῖσιν τὸ πράγματα, κατέπερ οἱ ποντοί*, inquit Philosophus lib. 2. Top. c. 2. id est appellare nos oportet res nominibus, sicut *vulgaris* appellat, & ut vulgo dicitur, loquendum cum multis, sentiendum cum doctis & sapientibus: Et inter αὐγαγῆς sive vitia Dialecticorum problematum recensetur sub finem cap. 1. ejusdem libri τὸ διδάσκαιον τὸν κειμένον λέγει, id est, si quis discat à communi loquendi consuetudine. At *Analyticus*, qui naturas ipsas rerum rimatur, non solet loqui cum vulgo, nisi fortasse verba rebus congruant, &c. Si ergo hoc

hoc non tantum liceat in Dialecticis rationibus, sed etiam fieri debeat, non peccabit Scriptura, si idem faciat; immo Sp. S. si se hic accommodet, censendus erit spectare ædificationem vulgi, uti facit: Negari autem nequit populariter & Dialecticè Scripturam saepius agere, quemadmodum qui persuadere vult talibus ad plausum argumentis uti solet, cum hoc vel ex solo Christi progressu similitudinibus à rebus terrenis & obviis desumptis, & ex aliis multis sit manifestum.

C A P V T I I I.

Ostenditur multis locis Scripturæ, qui circa res Prædictas & morales locutiones continent secundum opinionem hominum à veritate recedentem.

I. *S*eptimum argumentum tale à nobis formatur: Si etiam circa res morales & prædictas reperiuntur in Scriptura multæ locutiones vulgares, correspondentes tantum opinioni hominum, non rei veritati, quid mirum si afferatur in rebus naturalibus Scripturam sequi saepè opinionem vulgi erroneam? Saltem si hoc hic illicium esset, multò minus licuisset fieri circa res morales, quæ propius ad scopum Scripturæ

pturæ spectant, quam res naturales. Posset id plurimis exemplis Scripturæ ostendi, ex quibus sequentia proponemus: 1. locus defumitur ex Es. 49, 24. collato cum v. 25.

An auferetur à robusto captura? an etiam captiva turba justi eripietur? Quin sic ait Iehova, & turba captiva robusti auferetur, & captura violenti eripietur. Hic is qui priori versu vocabatur justus, sequenti vocatur violentus tyrannus. Itaque ista Iustitia non est nisi in opinione istius tyranni, qui omnia sua violenta facta titulo iustitiae novit obtegere. Nam ut suspicemur mendum irrepsisse, ita ut pro רִאשׁוֹן in priori versu sit legendum רַבְבָּי, ut quidam interpres volunt, nulla necessitas cogit. Marloratus ad hunc locum considereret, cujus hæc sunt verba: *Interea hac similitudo diligenter notanda est, quod Ecclesia opprimatur tyrannide principum, & fauibus luporum exposita sit, & nihilominus IVSTA eorum præda esse EXISTIMETVR!* Sed utcunque IVSTOS se Dominos esse jactitant, & inani titulo glorientur, Dominus eos prædones iniiquissimos esse declarat, cum se vindicem fore, atque iis prædam suam ereturum esse significat.

II. Similes huic sunt loci Prov. 18, 17. ubi secundum Hebræum Textum hæc habentur verba: *Iustus, qui primus est in lite sua,*

sua, advenit proximus ejus & peruestigat eum, in quo loco interpretes per *Iustum* intelligunt eum qui sibi videtur justus. Vide Cartwrigthum, Belgas & Iunium. Matth. 9, 13. *Non enim veni vocatum justos, sed peccatores ad resipiscientiam.* Christus per justos intelligit Phariseos, qui turgebant propriâ justitiâ & sibi justi videbantur, cum tamen nihil minus quam tales essent, in qua explicatione consentiunt interpretes, nominatim, Belgæ, Pareus, Musculus. Simili modo locum Ezech. 3, 20. Iun. 5. *Sin avertetur justus à justitia sua & faciet iniquitatem* interpretantur Belgæ, qui quamvis fortè aliter accipi possit, eorum tamen verba adscribam; een rechtbeerdige] te weten/ in den schijn voort de menschen / niet in der waerheit voort Godt. Alsoo is het woort rechtbeerdigh genomen / Proverb. 18, 17. Ezech. 18, 24, 26, &c. c. 33, 13. Matth. 9, 13. Luc. 18, 9, 14. item, geloove voort een schijn-geloobe / Luc. 8, 13. Act. 8, 13. ende liefde voort schijn-liefde 1 Ioh. 3, 12. quæ ita Latinè reddo *justus*] sc. in apparentia coram hominibus, non in rei veritate coram Deo: ita accipitur vox *justus* Proverb. 18, 17. Ezech. 18, 24, 26, &c. c. 33, 13. Matth. 9, 13. item fides profide apparenti Luc. 8, 13. Act. 8, 13. & charitas pro charitate apparente 1 Ioh. 3, 12.

III. Proverb. 30, 19. *viam viri in virgine.* Hic in hebræo habetur vox *תְּמִלֵּל*, quam Interpretes statuunt semper significare virginem intactam quæ nondum virum cognovit, idque ad tuendam virginitatem B. Mariæ matris Domini nostri, de qua prædixerat Esaias 7. capite. Cum autem Iudæi objiciunt hunc locum Proverb. 30, 19. in quo volunt vocem *תְּמִלֵּל* sumi pro virginे corruptâ, quia versu sequenti dicitur: *Ita est via mulieris scortantis*, respondent hic sumi pro tali, quæ sit virgo secundum *דָּבָר*, quod sese pro virginе vendit. Ita Cartwright ad hunc locum: *Non attendunt Iudei Prophetam hoc in loco ouyzapnukws per concessionem loqui, prout versus sequens aperte declarat; quia sc. tametsi vitiata sit, pro virginе tamen sese venditet.* Ad eundem modum incantatores, quamvis insigni stultitia sunt, quia tamen sapientes haberí voluerunt, & habiti sunt. Sapientes in Scriptura non semel appellantur. Similiter Scultetus in Es. 7. *Quamvis locus Proverb. 30. de corrupta juvencula loquatur: Virginem tamen eam dici non quidem αληθῶς, sed vel εἰπωνικῶς vel δοξασικῶς* (ubi nota quod εἰπωνικῶς de aliquo dicitur etiam simul δοξασικῶς esse intelligendum) *non est absurdum.* Ita & Vrsinus in c. Es. 7. *Vocat Virginem, id est, qua videtur aut videri*

vult virgo, etiam si non sit virgo, id est, non virginem veram, sed simulatam.

I V. Ier. 28.1. *Allocutus est me Chanania filius Hazzuris Propheta, qui erat è Gibbone. & v. 5. Tum alloquens Iirmeia Propheta Chananiam Prophetam illum.* Chanania hic æquè vocatur Propheta ac Iermias, cum tamen ille nihil minus esset, sed Pseudopropheta & Seductor populi. Propheta ergo fuit Chanania non in rei veritate, sed secundùm opinionem Iudeorum, qui ab ipso decipiebantur. Et ita Pisc. in notis in Ieremiam annotat. *Qui se profitebatur Prophetam. Dicitum καὶ δέξαντο.*

V. Marc. 6, 10. Herodes Antipas vocatur rex: *Audivit autem haec Rex Herodes,* cum tamen non rex fuerit, sed tantum tetrarcha, quemadmodum vocatur Matt. 14. Et refert Ioseph. lib. 17. antiquitatum quod post mortem Herodis magni Cæsar Augustus Archelao medium partem regni, quod Pater tenuerat, concesserit, alteram vero partem distribuerit inter reliquos duos Herodis magni filios Antipam & Philippum. Nullus autem istorum Herodis filiorum Rex fuit factus, ne Archelaus quidem, cui dimidia pars regni obtigerat, & promissum fuerat regnum, quod etiam fuisse consercuturus, nisi in iram Cæsaris incurrisset, quemadmodum ex Iosepho satis colligi potest.

test. Quare Antipas non aliter in citato loco Rex potuit dici, nisi quod se ut Regem gesserit, adeoque in opinione sua & popul pro Rege fuerit habitus.

V I. 2 Cor. 4,4. *In quibus Deus hujus seculi excœcarvit mentes, nempe in infidelibus* hīc Diabolus vocatur Deus hujus seculi quod non nisi δοξασικῶς & putativè intelligendum est, quemadmodum etiam fieri debet, quando idola gentium passim in Scriptura dii vocantur, ut inter alia Exod. 23,

24. *Ne incurvando te honorem habeto Diis eorum, sc. Cananæorum & reliquarum gentium, quas Deus coram Israëlitis expulit.* Vnde & Theologi nominatim Leid. in Synopsis Theol. disput. 6. art. 13. quando de nomine Dei agunt annotant: Illud vel propriè vel impropriè sumi, impropriè itidem vel οὐ γνωρίως quando angelis vel hominibus propter excellentem dignitatem, &c. tribuitur, vel δοξασικῶς ex opinione & errore falsis Diis.

V II. Gal. 1, 6. *Miror vos ita citò, deserto eo, qui vocavit vos in gratiam Christi, transferri in aliud Euangelium.* Doctrinam Pseudo-Apostolorum vocat Paulus aliud Euangelium, nempe secundum opinionem istorum hominum, cum esset oppositum Euangelio Christi, adeoque nomine Euangelii indignum. Atque ita Interpret-

terpretes exponunt; Perkins. ad hæc verba annotat: *ad aliud Euangelium*] *ad aliam Doctrinam salutis, que juxta opinionem & verba falsorum Doctorum est aliud Euangelii genus, absolutius & excellentius, quam id quod Paulus tradidit.* Musculus. Fieri potuit, ut vel ipsi suam doctrinam aliud Euangelium vocarint, vel auditores illorum dixerint: *Hoc aliud Euangelium est ab eo, quod nobis Paulus predicavit: atque ita Apostolus μηδέπουται seductivam illam doctrinam aliud Euangelium appellavit.* Nam alias quod non est Euangelium, non potest VERE aliud esse Euangelium: quemadmodum aliis homo esse nequit, qui non est homo: & aliis Christus, qui non est Christus; & aliis Deus, qui non est verè Deus.

VIII. Hebr. 7, 3. De Melchisedeco dicitur, quod fuerit *sine patre, sine matre, sine genere: nec initium dierum, neque vitæ finem habens, sed assimilatus Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.* Utique hæc quæ dicuntur de Melchisedeco non possunt secundum veritatem accipi; (nisi velimus sequi sententiam Cunæi de Republ. Hebræorum, qui per Melchisedecum intelligit ipsum Filium Dei, cuius sententiæ inter alia repugnat imprimis, quod Filius Dei non potuerit esse typus sui ipsius) cùm enim fuerit homo, uti probabilius fert sententia, & quidem

quidem Rex salem, proculdubio etiam habuit suos parentes, genealogiam &c. sed tantum secundum cognitionem nostram, quod ejus parentes, &c. sint incognita. Quemadmodum ergo Scriptura in superioribus exemplis se se accommodavit ad nostram opinionem, ut locuta fuerit, quemadmodum opinamur de rebus; ita hic se se accommodat ad nostram cognitionem, ut non quod verum est dicat, sed quia nos non cognoscimus, neget. Consentient hic interpres: sic enim Pareus; *dicitur sine patre, sine matre, non quod revera talis fuerit, sed quod talem Sp. S. in historia representat.* Eodem modo Scultetus in Epistolam ad Hebreos, quibus similia habet Gualtherus: *talem proponit Scriptura, non quod REVERA talis fuerit, aut superfic adhuc, sed ut esset assimilatus Filio Dei, iam est, typi caussa eundem proponit.*

I X. Ios. 2. dicitur de exploratoribus, quod illos persecuti fuerint quidam è Hierichuntinis v. 7. *Viri illi persecuti fuerunt eos via ad Iordanem per vada singula v. 16. ad istum montem ite ne occurrant vobis qui persequuntur.* v. 22. *Abeuntes venerunt in montem illum ac manserunt ibi tribus diebus, donec rediissent, qui persequebantur, quasiuerant enim eos, qui persequebantur via illa, sed non invenerant.* In Hebreo

bræo habetur קָרְבָּא אַתְּגִיְּתָה quod , si verbotenus reddas , erit , persecuti sunt post ipsos . At fuerunt illi viri absconditi primò in stipulis lini , quæ erant super tecta ædium Rachabæ , dein tribus diebus in monte latuerunt ex Rachabæ consilio . Non poterant ergo in rei veritate persequi post eos , sed denuò hîc habemus exemplum Scripturæ loquentis non ex rei veritate , sed ex opinione hominum istorum , nempe persecutorum .

X. 1 Sam. 28, 12. *Cum autem videret mulier Samuelem , v. 14. agnoscens Saul Samuelem esse , v. 15. dixit autem Samuel Sauli , quare commovisti me evocando me v. 16. Cui dixit Samuel , quare ergò consulis me?* v. 20. adeò timebat valde à verbis Samuels . Eum qui hic evocatus fuit à Pythonissa ad Saulis instantiam , fuisse Diabolum , constat inter omnes orthodoxos , vel maximè eo argumento , quod nullo modo Diabolo , cuius operâ utuntur magi & necromantici tanta potestas à Deo concedatur , ut mortui Sancti e'us imperio sint subjecti , quo de ipsorum animis disponere possit pro suo lubitum . interim non semel dicitur Samuel , unde & Ecclesiasticus Apocryphus videtur occasionem sumisse , hæc vero Samueli applicandi . Vocatur ergò Samuel , quia speciem Samuels referebat & ex opinione Saulis .

lis & Pythonissæ non ex rei veritate. Et hic locus valdè firmus est ad probandam nostram sententiam.

X I. Similis locus est Deut. 18, 10, 11. *Ne invenitor in te utens incantatione, ani requirens pythonem, aut ariolus, aut mortuos consulens.* Hic necromantici dicuntur mortuos consulere, cum hoc fiat tantum in ipsorum opinione & aliorum, non in re veritate: putant se mortuos hos vel illos consulere, & colloquium cum iis instituere, cum tamen sit Diabolus, qui sub specie mortuorum iis appareret, eosque fallit.

X I I. Ioh. 5, 31. *Si ego testor de me ipso, testimonium meum non est firmum,* nempè secundum vestram opinionem, cum vos possitis de eo dubitare; alias enim in r Veritate testimonium Christi semper est firmum, cum sit ipsa veritas, ipseque docet Ioh. 8, 14. *Etiam si ego testor de me ipso, firmum est meum testimonium.*

X I I I. Phil. 3, 7. *Sed quæ mihi erant lucra, ea duxi propter Christum damna esse.* Quæ mihi lucra erant, non reverâ sed in mea opinione, quam habebam, cum nondum essem conversus, de observatione Decalogi & aliarum constitutionum, tum Dei tum etiam hominis, per quæ volui justificari, ea nunc detimentosa luce divinâ illustratus judicio recto judico.

XIV. Tit. 1, 12. Epimenides vocatur Cretensium Propheta: at is fuit non sanè secundum rei veritatem, sed tantum secundum eorum opinionem, cum in tanto apud illos fuerit honore, ut ei etiam post mortem sacrificaverint, quemadmodum refert Diogenes Laërtius. Notetur Calvini explicatio ad hunc locum: *Cum Poëta interdum Gracis Propheta dicantur, quemadmodum apud Latinos Vates; simpliciter pro Doctore accipio: Hinc autem appellatio (ut videtur) orta est, quod semper HABITISSUNT genus Ætior & conditoris. Unde &c. Adimantus apud Platonem 2. de Repub. postquam vocavit Poëtas Deorum Filios, addit eorum quoque factos fuisse Prophetas. Quare mihi videtur Paulus ad COMMUNEM VSVM sermonem accommodare.*

XV. 2 Petr. 2, 1. Fuerunt autem etiam Pseudopropheta in populo &c. etiam Dominum qui illos mercatus est, abnegantes. Si veritatem hic spectemus, dici sanè non potest, Christum eos mercatum fuisse, à peccato & servitute Diaboli liberasse, cum contrarium pateat ex ipsorum operibus, quibus ostendunt se adhuc manere sub dominio peccati & diaboli. Sed quia sunt in externa communione Ecclesiæ & Christum profitentur, videntur pertinere ad pusillum illum gregem, quem Christus ex fauibus Satanae

Satanæ eripuit. Itaque illud *mercari* tantum est accipiendum secundum opinionem ipsum ipsorum, tum aliorum, quâ pro redemptis habebantur.

Et hæc est communis interpretatio Orthodoxorum, quando Christi mortis efficaciam ad solos electos pertinere ostendunt. Sic Belgæ ad hunc locum notant: **Dese worden hier geseght van den Heere geliocht te zijn/ten aensien/dat se haer voor soodanige uitgeven/ende van anderen nae de liefde daer voor gehouden zijn / soo lange als sp in de gemeynschap der Kerche waren.** **Het diergelijcke wopse van spreken Ioh. 15, 2. Apoc. 22, 19. Want Christus heeft door sijn bloedt waerlich ende inder daet alleen sijne gemeente gekocht Actor. 20, 28. Eph. 5, 25. Dat is/ alleen de ware geloolige/die altijdt by Christum blijben / ende hem niet en verloochenen.** **Hiet i Ioh. 2, 19. Apoc. 14, 3, 4. Hoc est: Isti hic dicuntur empti à Domino, eo respectu, quod sese pro talibus venditarent, & ab aliis ex charitate tales haberentur, quamdiu erant in communione Ecclesie. Vide similem loquendi formulam Ioh. 15, 2. Apoc. 22, 19. Nam Christus suō sanguine reverâ & actu tantum suam Ecclesiam redemit. Actor. 20, 28. Eph. 5, 25.**

hoc

hoc est, tantum verè fideles, qui semper apud Christum manent, & ipsum non abnegant. Vide 1 Ioh. 2, 19. Apoc. 14, 3, 4. Similis est interpretatio Parei: Erant redempti 1. respectu sufficientia λύτρου seu quoad magnitudinem pretii. 2. ipsorum professione & gloriatione. Christus enim pro omnibus solvit premium; & multi impii gloriatur de Christi redemptione; sed fide eam sibi non applicant. Aliud verò est gloriari, aliud certò statuere, Deum sibi esse propitium propter Christi meritum. 3. HOMINVM OPINIONE. Consentit Alstedius in Pleia-de Apostolica, ubi inter alia ad hunc locum notat: Ratione applicationis mortis Christi oportet distinguere fidem justificantem, temporariam & historicam: itemque gloriationem opinionem & judicium charitatis. Quantum ad fidem salvificam Christus omnes & solas suas oves mercatus est Ioh. 10. quantum ad reliqua, Christus etiam mercatus est hypocritas. Sed dices: An non sufficiet, si hunc locum ita interpreteris, ut dicas, Christum ita fuisse eos mercatum, ut premium quod in se erat sufficiens ad illos redimendos persolverit, ut non opus sit altera expositione de redemptione, quoad ipsorum opinionem. Reſp. non sufficit: Sic enim Christus omnes & singulos homines redemit, si illam sufficientiam spectes, imò plures

plures mundos, id est plures universitates hominum qui sunt, fuerunt vel futuri sunt: Sed hic est Sermo de illis hominibus, qui erant in externa communione Ecclesiæ, ac propterea judicabantur etiam esse in interna communione cum Christo, ut fieri debet ex judicio charitatis. Inst. At saltem satis erit, si dicas, eos redemptos quoad professionem suam *Resp.* 1. illa professio oritur ex ipsorum falsa opinione. 2. ex illa professione oritur etiam opinio aliorum de ipsis eretonea. Itaque nihilominus acceptio Redemptionis quoad opinionem locum habere debet.

C A P V T I V .

Producuntur Testimonia Scripturae de rebus naturalibus, eaque accipienda esse secundum vulgi opinionem, non secundum rei veritatem ostenditur.

I. **O**ctavum argumentum. Sed ne videamur tantum præsumptionibus niti, deducamus Lectorem in ipsam rem, & ostendamus è Scriptura illos modos loquendi vulgares de rebus naturalibus. Deut. 30, 4. *Etiamsi quis ex tuis depulsus esset ad extremitatem cali, inde colligam te. cui similis est locus Esaiæ 13, 5. Veniunt è terra lon-*

*longinqua ab extremitate calorum, & multi
alii, in quibus extremitates cælo attribuun-
tur per locutionem manifestè desumptam
à præjudiciis sensuum & opinione vulgi. Ita
enim videtur ei, qui solis sensibus innititur,
ac si cælum esset Hemisphærium, quod in
extremis Terræ finibus deficiat, ita ut Ter-
ræ innitatur, & progredientibus eō usque
videatur occursum, impediens progres-
sum ulteriorem. Hoc præjudicio sensuum
occupatus Homerus Æthyopas collocat ad
extremitates Ortus & Occasus, existimans
Solem ob hanc cæli & terræ contiguita-
tem, adeò propinquum eis fieri, ut eorum
cutem adurat. Ita enim Odyss. A. Algo-
mnes τὸ δίχτυον δεδαμένην ἔχαγε οὐράνῳ, Οἱ
μῆτρὶ δυσσύμην ταπειόντος, οἱ δὲ αἰνιόντος. id
est, Æthyopas qui bifariam divisi sunt, ul-
timi hominum, Alii quidem occidentalis
Solis, alii verò, Orientalis. Huic sententiae
quoad locum Deut. 30. adstipulatur Iunius,
in sua analytica explicatione: *id est, in ul-
timis terris, qua cælo ad aspectum nostrum
videntur terminari (sic enim Hebrei L O-
Q Y V N T V R P O P V L A R I T E R.)* Cer-
tum enim est cælo rotundo, nullam com-
petere extremitatem propriè loquendo.*

I I. Iob. 26, 11. *Visque dum columna Cæ-
li concutiantur & obstupecant ab increpa-
tione ejus. & 2 Sam. 22, 8. Et concutitur ac*

movetur Terra, fundamenta Cælorum commoventur, concutuntur autem, cum ira acceditur ei, cum quo si conferas locum Parallelum, (Ps. 18, 8. Et concutitur ac movetur Terra, fundamentaque montium commoventur, concutiuntur autem cum ira acceditur ei)) appetet quæ priori loco vocantur fundamenta cœli, posteriori vocari fundamenta montium, quibus simul ipsi montes connotantur, ut ita montes dicantur fundamenta cælorum, quæ locutio sane satis est vulgaris, innitens isti sensuum præjudicio, quod cælum montibus incumbat, unde & Poëtæ Atlantem portare cælum dixerunt nominatim Homerus Odyss. A. Cum hæc nostræ interpretatione consentientes producit Mercerus in Iobi locum citatum: *Metaphorice hæc dicuntur, non quod alioqui cælum columnas habent, quibus nitatur, sed quod in vehementiori orbis concussione videatur nobis perinde, ac si nutrent ejus columnæ. Alii terram & montes & solidiores terra partes putant columnas cali dici, quod velut illis innitatur, & terra velut orbis totius fundatum ac firmamentum sit.* Ipse autem in genere nobis assentitur, dicendo, quod sit locutio secundum id quod videtur.

III. Ps. 2, 8. *Pete à me & donabo gentes in possessionem tuam, & fines terræ tuis posse-*

DISSERTATIO I. 51

possessionis tuae. Ps. 22, 28. Recordabuntur et
convertentur ad Iehovam omnes fines terræ.
Ps. 48, 11. Laudem tuam esse usque ad ex-
tremitates terra. In his locis terræ tri-
buuntur fines, extremitates, non respectu
habito ad Terræ interiora, quomodo potest
vocari Terræ extremitas illud totum, quod
pedibus calcamus, sive ipsa Terræ superfi-
cies; sed respectu ipsius superficie, cum ta-
men nullibi habeat fines in rei Veritate, sed
rotunda existat, quod concedunt & norunt
omnes Geographi. Sed est præjudicium ex
fallacia visus desumptum, secundum quam
vulgaris putat extremitatem Terræ ibi esse,
ubi Cælum Terram quasi contingere vide-
tur, & Terram deorsum infinitis radicibus
extendi existimat, quo præjudicio videtur
occupatus fuisse Lactantius, cum lib. 3. di-
vinarum Institutionum cap. 24. ridet Phi-
losophos, qui statuebant Terram esse ro-
tundam, & dari Antipodes; nihil tamen
contra eos affert, quod refutentur, nisi talia
præjudicia sensuum, contra quæ quia Phi-
losophorum sententia militabat, ridicula
ipsi fuit visa, non aliter ac nunc vulgo ri-
dentur qui firmis rationibus inducti Ter-
ram circa Solem deferri existimant. Inde
autem Terra sortita est nomen Orbis, quia
videtur quasi planities sive discus, à Cælo
undique in rotundum conclusus.

IV. Iob. 26, 7. *Qui extendit Aquilonem super inane.* Per Aquilonem commode h̄ic intelligitur cæli pars illa, quæ habet Polum Antarcticum constituta à circulo Aequinoctiali, qui Cælum dividit in duas partes: præsertim cum dicatur Deum extendere Aquilonem, quæ vox de cælo sole usurpari. *Inane* autem explicandum est de Aëre, quem vulgus nihil esse putat, unde sæpè audies hominibus Idiotis Aërem & Nihil pro eodem sumi, adeoque spatum illud inter Cælum & Terram inane judicari. A parte nostra sunt Piscator in notis ad Iobum, & Mercerus commentario in eundem; quorum ille ad hæc verba (super inane) notat: id est, *super aërem, cuius spatum imperitis naturæ rerum videtur inane.* hic verò: *super inane sive vacuum dicit juxta vulgi opinionem, juxta quam sæpe SCRIPTURA LOQUITVR, qui putat vacuum esse totum illud spatum, quod est à Terra hinc ad Cælum usque, cum sit aëre plenum & occupatum.*

V. Gen. 1, 16. *Fecit Deus duo illa Luminaria magna: Luminare majus ad prefecturam diei, & luminare minus ad prefecturam noctis.* Sol & Luna vocantur Luminaria magna oppositæ ad reliquas Stellas, cum tamen certum sit apud Astronomos plurimas Stellas tam fixas quam planetas superare

superare Lunam suâ magnitudine , vide sis Clavum in Sphæram de Sacro bosco p. 205, 206. E. h̄ic iterum exemplum Scripturæ loquentis secundūm apparentiam sensus , cui innititur vulgi opinio , non secundum rei veritatem. Belgæ Interpretæ: *de welcke groot genoemt worden/ ten aensien van haer upterlijcke gedaente ; soo die in onse oogen valt / ende haer uptneimende werkingen.* id est : *qua magna appellantur respectu sua externe speciei , ut illa in oculos nostros incidit , & excellentium operationum.* Verba Calvini digna sunt consideratu , multumque profunt ad totam nostram controversiam. Is ad v. 14. cap. 1. Genes. *Tenendum est illud , inquit , Mosen NON AC VTE PHILOSOPHARI de occultis mysteriis : sed referre qua passim etiam RVDIBVS NOTA sunt , & posita in vulgari usu.* Item ad vers. 15. Iterum repetere opera pretium est , quod prius dixi : non hic Philosophicè differi quantus sit Sol in calore , & quam magna vel parva Luna : sed quanta Lux ex ipsis ad nos perveniat. *SENSVS enim nostros hic compellat , ne donorum Dei , quibus fruimur cognitio praterfluat.* Et ad v. 16. Hoc interest , quod Moses populariter scripsit , *qua sine Doctrina & literis omnes idiota communis sensu percipiunt.* illi autem (Astronomi

puta) magno labore investigant, quicquid
humani ingenii acumen assequi potest. Pa-
reus conformiter satis huic nostræ senten-
tiæ in hunc locum loquitur: *Luna minores*
sunt stellæ alia, non quidem REVERA,
SED APPARENTER. Nam & corpus
Lunare majus appareat, quia est astris infi-
mum, & oculis nostris vicinus, proximum
Terra, &c. Similiter Piscator in Quæst. in
Pentateuchum: *Quo sensu Sol & Luna di-*
cuntur Luminaria magna? Resp. Sic vo-
cantur respectu nostri sensus & judicii ocu-
lorum. Et Alstedius in notis ad Genesim:
Luna est Luminare magnum non SECVN-
DVM REM, sed secundum SPECIEM
duntaxat & virtutem. Consentientium
nobiscum in hujus loci interpretatione ag-
men claudat Polanus, qui in suo syntagma
Theol. lib. 5. cap. 23. sic inquit: *Sol &*
Luna dicuntur luminaria magna, quamvis
stella fixa sint longè majores, quantitate Lu-
na, &c. partim quo ad dicas s. opinionem
communem vulgi, quod de rebus loquitur,
non ut sunt sed ut videntur esse, & AD
CVIVS CAPTV S. S. IN HIS TA-
LIBVS SESE ACCOMMODARE DI-
GNAVUR.

VII. Sed videamus quomodo hunc locum
nobis eripere conetur Revius. Is Analec-
torum Theologicorum disp. 47. th. 5. ad
hunc

hunc locum ita excipit: *Imò ex rei veritate (sc. dicitur Luna luminare majus) cum magnitudo non modo de substantia, sed etiam de potentia ac operationibus dicatur* Gen. 24, 35. Eccl. 2, 10. Luc. 1, 15. 1 Cor. 13, 13. *ita hic intelligendum. additur enim, luminare majus ad prefecturam diei & luminare minus ad prefecturam noctis.* verè ergo notatum Basilio aliisque; magna hac Luminaria nos posse accipere, non tam aliorum comparatione quam suo munere. Lentulus p. 177. Novæ suæ Sapientiæ similia exceptionis loco adfert: *Distinguo, inquit, magnitudinem; qua non tantum quantitas est, sed aliarum quoque rerum; in primis Virtutis & operationis.* *Nisi fortè viri magni nomen nisi in gigante non admittas.* Luna inter majora Lumina, sed ut lumen, & respectu in Terris operationis. En tibi param hanc ereptam: nam ad cetera quæ proferre queas, facilior etiam solutio. His conjungo Iacobi Du Bois Ecclesiastæ Leidensis respcionem, quam putat p. 18. Dia logi sui Theologico-Astronomici: *Dico verè ibi respici non ad magnitudinem corporum, sed ad rationem illuminandi, quia majus Lumen prabent in Terra quatenus sunt r̄mīcō luminaria: quod vel ex ipsa Mose clarissimè liquet: nam agitur de ea magnitudine, quā Sol major apparet Luna,*

at discus Solis non major apparet disco Luna; sed multò majus præbet nobis Lumen, ac eā ratione est majus Luminare quam Luna; qua etiam ob majus lumen multò majus Luminare est, quam vel Venus, vel Iupiter, vel maxima ex stellis prima magnitudinis.

VII. *Reſp.* Non tam facile cedimus adversariis de hoc loco: nam 1. hæc non pugnant, magnum esse Luminare secundum potentiam & operationem, & secundum apparentiam sensus, uti vidimus hæc ab Interpretibus laudatis conjuncta fuisse, imò inter se bene cohærent, & ab una eadem que origine fluunt, quia enim Luna nobis est magis propinqua, ideo & major apparet, & majorem operationem in nos exercere potest. Vtrumque ergò Moses significare voluit, quod majora appareant & respectu magnitudinis & respectu illuminationis, neque posterius sine priori esse potest: Vbi enim major & diffutior lux apparet in ipso corpore lucido, ibi etiam ipsum corpus lucidum majus apparere necessarium puto. 2. vel ex eo apparet, quod sit locutio accommodata ad sensuum apparentiam, quia Luna vocatur Luminare & in eodem Ordine cum Sole collocatur, cum tamen non nisi æquivocè Luminare dici possit: quippe tanta, imò major est diffe-

differentia inter Solem & Lunam , quanta est inter flammarum candelas & lapidem aliquem ejus lumen reflectentem . Trium enim generum sunt corpora in mundo, quædam emittunt Lumen, ut Sol, stella, ignis : quædam transmittunt, ut aëris, cælum, vitrum: quædam remittunt, ut omnia corpora opaca , Terra, Luna & reliqui Plantæ. Certum equidem est, Lunam nullam habere lucem insitam , uti appareat satis ex eo , quod tempore Novilunii etiam Tempestate Serenissimâ non conspicua sit , nisi quod aliquando Lumen in ea tenuerit conspi ciatur, quod existimandum est esse à Terra ad Lunam reflexum. Stellis autem fixis lucem insitam competere constat ; illa ergo procul dubio in se longè major est, cum quia est propria , tum quia eorum corpora longè sunt majora Lunæ corpore , sed ob maximam à nobis remotionem & distantiam , sit ut illa lux nobis non ita appareat neque oculos nostros tam fortiter feriat. Itaque si absolutè loqui voluisset Scriptura, nullo habito respectu ad sensus nostros & eorum apparentiam , Luna vix luminare dici potuisset , sed id nominis accuratè loquendo tantum stellis fixis & Soli fuisset tribuendum ; etsi etiam ea quæ lumen reflectunt, saltem æquivocè inter Luminaria sint recensenda, potiori jure Terra pro Lu-

minari habenda, cum lumen longè majus & certius reflectat quam Luna, ob magnitudinem maiorem. 3. Quando Moses dicit, *Fecit Deus duo illa Luminaria magna, oppositè ad stellas, indicare voluit ea majora apparere, tum respectu magnitudinis, tum respectu illuminationis, uti ostensum antea: quando autem postea sequentibus verbis: luminare majus ad prefecturam dei, & luminare minus ad prefecturam noctis,* comparationem instituit inter ipsa hæc duo Luminaria, quæ oppositè ad stellas absolutè magna dixerat, omnino cum tantum majoris & minoris illuminationis respectum habere concedimus. Atque sic du Bois instantiæ suæ satisfactum videbit. Conspicuum itaque est ex dictis lucem maiorem & Virtutem Lunæ competere, non absolutè, sed tantum secundum quid & respectivè, item secundum apparentiam sensus, non secundum rei veritatem, atque adeò exceptiones has potius sententiam nostram confirmare, quam ut ei obesse queant, parvamque nobis firmam hærcere in manibus, quam frustra Lentulus conatus est eripere.

VIII. Act. 27, 27. *Nauta circa medium noctis suspiciati sunt, & oras appropinquare sibi aliquam regionem. Locutio hæc desumpta est à vulgari visus fallacia, quā sit, ut dum navi vehimur, littora accedere.*

dere & recedere videantur --- *teraque urbesque recedunt*. Similiter dicere Solemus iter facientes, da kompt eis berg/ cum tamen non mons veniat, sed nos ad illum accedamus. Sic appropinquantes urbi, ut videre illam possint, dicere consueverunt da kompt diese oder jene Stadt. Ipsa quidem appropinquatio est mutua, quæ sit per imminutionem distantiæ, quæ extitit inter duo corpora, ob alia corpora interjecta, sed tamen non appropinquare, cum connotet actionem, propriè & accuratè loquendo non potest tribui, nisi ei, in quo est ista actio, non verò alteri. Atque ita propriè loquendo navis appropinquit regioni, non regio navi; dein, cum motus demum iis propriè & æx. cōs. tribuatur, quæ simul recedunt ab omnibus corporibus immediatè contiguis, non verò iis, quæ tantum ab uno vel altero recedunt, patet iterum accuratè loquendo navi competere motum, adeoque appropinquationem, non regioni, cum illa ab omnibus corporibus immediatè contiguis simul recedat, non ita regio.

I X. Apostolus Iudas in sua epistola com. 3. de Pseudoprophetis dicit, quod sint *æsperes molierunt stellarum erraticas*. Erit hic iterum Exemplum formulæ loquendi ab erronea opinione desumptæ, si per planetas intelligamus, corpora ista opaca in æthere

constituta solis lumen ad nos reflectentia, qualia sunt Luna, Mars, Venus, &c. Non enim reverâ errant, cum leges sui motus exactissimè servent, uti ex Astronomia constat, sed Planetæ dicuntur quia secundum sensuum apparentiam errare videntur. Et sanè nihil impedit, quo minus ita sumamus, quum voluerit Apostolus exprimere istorum hominum inconstantiam & vagabundam Doctrinam, quemadmodum Belgæ interpres hic nobis consentiunt, apud quos hæc nota reperitur: **Dat is / Planeten/ welker loop hoewel seker is / soo schijnense ons nochtans te dwalen / om dat haren loop niet eenparig en is met de andere sterzen.** **Daer by vergelyckt hy hare ongestadigheyt.** quæ verba sic Latinè reddimus: *hoc est, planetæ, quorum cursus quamvis sic certus, videntur tamen errare, quia ipsorum cursus non conformis est reliquarum stellarum cursui. Huic comparat ipsorum inconstantiam.* Attamen qui alii Interpretes per planetas intelligunt ignem fatuum, alii stellas cadentes, non multum de hoc loco disputabimus, sufficient reliqui loci adducti.

X. Subjungam nunc aliud exemplum locutionis vulgaris valdè in Scriptura frequentata. Sæpiissimè illa ita de corde loquitur,

quitur, ut ponat illud vel pro ipsa animâ. Psal. 24, 4. *Innocens manibus & purus corde.* Psal. 84, 4. *Cor meum & caro mea exclamant ad Deum fortem;* vel pro voluntate. Matth. 6, 21. *Vbi fuerit thesaurus vester, ibi erit & cor vestrum;* vel pro cogitationibus, unde Deus dicitur *corda scrutari, & esse negligiūs;* vel pro sapientia & ejus sede: Proverb. 2, 10. *Cum venerit sapientia in cor tuum.* Prov. 15, 14. *Cor prudentis querit scientiam.* Prov. 7, 7. *Vidi inter fatuos, animadvertisi inter filios puerum defectu cordis.* In quibus locutionibus est Metonymia subjecti recipientis pro adjuncto, quod Scriptura in iis hanc opinionem supponat, non tantum animæ præcipuum sedem esse in corde, sed etiam intellectum & voluntatem animi potentias in corde radicari. Quamvis autem Peripatetici cum Aristotele Cor pro principali membro habeant, adeoque pro sede animæ præcipua, tamen contradicit tota ferè Medicorum Schola, ipsaque ratio sedem animæ præcipuam in Cerebro collocat, cum Cerebro affecto varias passiones contingere animæ videamus, ut amentiam, furorem, &c. at corde male se habente, non ideo animam talia opprimant pathemata. Est itaque error vulgi qui postea à Philosophis assumtus, & rationibus quibusdam veritatis speciem ha-

bentibus est stabilitus : nam tales locutiones in omnibus ferè linguis sunt obviæ. Exempla Hebrææ & Græcæ linguæ vidi mus superius in testimoniois ex V. Test. Hebræâ Linguâ, & N. T. Græcâ Linguâ exarato. In Latina lingua homo prudens, sapiens, vocatur *Cordatus* : Sic Recordari significat, in mentem aliquid nobis redire *excordes* & *vecordes* appellantur ii, qui carrent intellectu & sapientia : Cic. i. Tusc. Ei Nasica ille prudens, bis Consul, corculum appellatus. In lingua Gallica *Apprendre par Cœur* significat memoriae mandare ; *prendre à Cœur*, considerare diligenter ; *de bon cœur*, ex animo ; *il a eu le cœur aux lettres* animum intendit ad studia. In lingua Germanica : *Ein ding zu herzen nehmen / beherzigen / id est, animo perpendere ; als guttem herzen / id est, ex sincero animo :* ita dicimus : *Wes das herz voll ist / dessen gehet der mundt über/ hoc est, quod animo versamur, sæpe locutiones oris produnt.* Possimus nunc subjungere locos Scripturæ, in quibus Terræ quies Soli motus circa terram adscribitur atque ita etiam his exemplis probare, quod Scriptura loquatur ad vulgi opinionem, non semper ad accuratam rei veritatem. Sed quia hi loci sunt controversi, & propius spectant ad alteram nostram dissertationem, hos illi reservabimus.

X I. Scd

X I. Sed hic quis nobis occurrere posset dicendo: Probandum tibi fuit, Scripturam loqui cum vulgo errore, proferendo complexa falsa: at in multis locis Scripturæ adductis sunt tantum simplices termini ex usu vulgi adhibiti. *Resp.* nulli loci Scripturæ sunt adducti, nisi qui satis probarent, Scripturam loqui aliquando secundum erroneam vulgi opinionem; sed ubi tantum sunt simplices Termini allati ex usu vulgi adhibiti, ibi illi simplices termini ortum suum habuerunt ex falsis complexis & erroneous opinionibus à vulgo assumtis, quemadmodum consideranti patebit, cui & conspicuum fiet locos illos à nobis adductos abundè facere ad sententiæ nostræ probationem. Ita ex. gr. Deut. 30, 4. non dicitur quidem: *Calum habet extremitates*, sed tamen earum mentio sit ex usu vulgi, adeoque simplex hic terminus, *Cali extremitates* fundatur in falso vulgi complexio: *Calum habet extremitates*, ad quod complexum non quidem immediate Sp. Sanctus locutionem suam accommodat illud ipsum proferendo, sed mediatè, talem proponendolocutionem, quæ complexo falso innitatur. Similiter Iob. 26, 11. non dicitur *Calum habet columnas*, sed tantum eæ nominantur ex opinione vulgi: attamen hic terminus simplex *Cali columna* innitur

tur falso complexo *Calum* *montibus tanquam Columnis* *incumbit*, & sic iterum Sp. Sanctus Complexo falso locutionem suam accommodat mediately. Similes est ratio reliquorum locorum, in quibus termini simplices ex usu vulgi adhibentur. Atq; ita apparet pariter facere ad nostrum scopum loca, in quibus simplices termini ex usu vulgi adhibentur, ac ea in quibus Complexa falsa secundum vulgi opinionem proferuntur.

XII. Nihil nunc adderemus probationibus nostris evidentissimis, nisi itidem nos accommodare vellemus ad ingenium eorum, qui authoritatibus humanis duci solent, ac vel propterea hanc sententiam rejiciunt, quia putant eam consensui Theologorum adversari. Insimul ut occurramus clamoribus Lentuli, qui quando audit a Defensoribus delationis Terræ circa Solēm, ad loca Scripturæ objecta responderet, Scripturam ibi loqui secundum apparentiam sensus & vulgi opinionem, non accuratam rei Veritatem, ita p. 188. suæ sapientiæ insurgit: *naso suspenso rideri* *Scriptura* *venerationem*, *munitiōnem orthodoxorum* *subruentes esse in ipsorum castris*, *judicii iniq* *uitate Sacra maculari*. it. p. 177. hanc sententiam non magis novitate quam impia arrogantiâ esse insignem. In istorum ergo gratiam adducam authoritates magnino-

minis

minis Theologorum, ut ita videant tum
veritatem à parte nostra stare, tum etiam
consensum Theologorum nobis militare.
Plurimi autem jam superius ad partes sunt
vocati, quos nunc congregamus. Laudati
jam sunt: Chrysostomus, Calvinus, Mai-
monides, Rivetus, Pareus, Mercerus, Pif-
cator, Polanus, Alstedius, Belgæ Interpre-
tes, Marloratus, Cartwrightus, Iunius,
Musculus, Scultetus, Vrſinus, Theologi
Leid. in synopſi purioris Theologiæ, Per-
kinsius. Adduco nunc aliud Testimonium
Parei, quod superioribus adjungo. Is Gen.
1. ad v. 1. quando disquirit, quare Moses
rationem nullam fecerit explicitam crea-
tionis angelorum, responderet: *Simplicior est
ratio Chrysostomi homil. 2. in Genesim, quam
et Basilius attingit Hom. 1. in Hexaëm.*
*Mosen historiam suam ruditati Iudeorum
accommodasse. Erant enim homines terre-
ni, tantum SENSIBILIA sapientes.* His
Theologis adfocio Reinhaldum virum e-
ruditum, qui in Censura librorum Apocry-
phorum prælect. 90. p. 1103. ita inquit:
*Animadvertisendum est, ut in Sacris Scri-
pturis attribuuntur rerum nomina, rerum
imaginibus, ita etiam in actibus verba ac-
cipi solere non ex VERITATE, SED EX
OPINIONE, ubi etiam consentientem
citat Aben Ezra in Exod. 20. Et paulo post:*

Appa-

*Apparet ex circumstantiis Sacra Scriptura, recte ab eo (sc. Aben Ezræ) esse observatum, non rei VERITATEM, SED OPINIONEM à Scriptura esse spectatam, cum dicitur Saul intellectus, quod esset Samuel, quia opinabatur eum esse. Cum hoc coniungo Glassium Theologum Lutheranum, qui Rhet. sacrâ p. 62. statuit esse Metonymiam adjuncti, quando opinio hominum pro ipsa re ponitur, quam sic porrò declarat: *Rei denominatio fit quandoque ab externo adjuncta opinionis hominum. Alii ita: In Sacris literis res sapè nominatur & describitur, ut est φανομένως τῷ κατὰ δόξαν, non κατὰ τὸ εἶναι & αὐληθεῖαν, seu qualis hominibus VIDETVR ESSE, NON QVALIS EST IN SVA NATVRA.* Exempla quædam ex ipso hausimus, & uberiorius declaravimus. Claudat Agmen Finckius, Professor dum viveret Giessensis, qui in Centuria Canonum Theologicorum hunc facit quartum: *In Scriptura Sacra sapè res describitur, ut est φανομένως, & κατὰ δόξαν τῷ εἶναι.* Cum his ergo omnibus viris doctis sibi negotium fore sciat, qui porrò hanc nostram sententiam, tam evidenter ostensam absurditatibus onerare perget.*

C A P V T V.

Objectiones quædam huic nostræ assertioni oppositæ refutantur.

I. **V**ideamus nunc objectiones & absurdæ, quæ hanc doctrinam evidentissimè à nobis demonstratam premere videntur. Primò ergo sic objici posse videtur: Si Scriptura non loquitur semper ex rei Veritate, sed aliquando ex opinione vulgi erroneâ: E. aliquando Scriptura falsum docet, quod utique est absurdum cogitare, à Deo enim utpote summè Bono & Vero omnis fraus & deceptio est aliena.

II. *Rsp.* Nos facile hanc absurditatem dexterâ explicatione declinabimus: negamus autem connexionem majoris: consequens enim non sequitur ex illo Antecedente, sed hoc tantum: E. non emendat locutiones vulgares eas mutando in accuratas, & sic fundamenta istarum locutionum vulgarium non refutat; vel: Ergo de eo loquitur Scriptura, quod est falsum, illudque in medio relinquit, quorum neutrum est absurdum, atque neutrum Scriptura tenetur, imò si prius faceret crucem figeret animis plebejis, quibus talia incredibilia viderentur: ex. gr. *quod Luna sit minor quam stellâ fixâ, quod Terra non sit corpus*

corpus maximum, imò Cæli respectu puncti insensibilis habeat rationem, cum sensus ipsos videantur aliud docere, nec possit præjudicium eximi istud, nisi per accuratisimas demonstrationes, quarum isti non sunt capaces, nec satis præparati ad illas percipiendas. Quæ ergo supra art. 6. c. 2. vidimus de versione 70 Interpretum ex Rivoto & Voetio, ea etiam hic applicari possunt. Et sanè rectè faciunt Concionatores & prudenter, si Scripturæ exemplum sequentes in Concionibus suis vulgo sese accommodent. Ita enim ex. gr. de Terra debent loqui, tanquam de maximo aliquo corpore, cum tamen illa respectu Cæli puncti tantum habeat rationem, quod coram vulgo dicere ἀπεστιόνα foret. Ita possunt sæpè Concionatores suas adhortationes derivare ex opinione vulgi, dicendo ex. gr. *Deo obedit mare, cum dicit: Confiteor; Deo obedit Terra, cum dicit: Aperi ostuum & deglube impios; Deo obediunt montes, cum eos tranponit: Quare ergo vos homines rationales essetis tam immorigeri! &c.* cum propriè & accuratè loquendo obedientia non possit attribui, nisi Creaturis rationalibus, & reverâ Communis sit error, quo omnibus rebus communis quidam sensus & appetitus attribuitur. Simili modo in aliis fieri potest.

III. 2. Quemadmodum in Visionibus Ecstaticis aliud videtur & narratur , aliud intelligitur , ex. gr. videtur senex sedens in throno excelso &c. & intelligitur Deus judex terræ , non tamen propterea dicendum in talibus visionibus facilitatem hære-re: ita etiam Sp. S. ubi cum vulgo loquitur , aliud verbis efferre videtur , nempe prout res apparet , aliud intelligit , prout res reverâ se habet. Et sic is , cui rei veritas est cognita , etiam Sp. S. loquendi formulæ vulgaribus utentem , intelliget ; nec tamen alii , qui cum vulgo sentit & errat , is error Oberit saluti.

IV. 3. Communis est distinctio inter locutiones vulgares sive exotericas , & acroamaticas , inter probationes didascalicas & dialecticas , per quam sæpè multa falsa ab authoribus prolata excusantur , si dicatur , librum in quo hæc vel illa continentur esse exotericum , non acroamaticum , uti videre est apud Peripateticos , qui quando urgentur iis , quæ Aristoteles habet in Problematisbus , sæpe configunt ad hanc distinctionem , dicendo , librum hunc esse exotericum , non acroamaticum. At cum Scriptura de rebus sensibilibus nolit acroamaticè , sed tantum exotericè agere , non mirum , si & hic sectetur exotericas locutiones , non accurate veritatem exprimentes .

V. 4. Ne-

V. 4. Necesitas s^epe requirit, ut nobis sit loquendum, prout res apparent, non prout revera sunt, quemadmodum usu venit in **Astronomia**, quando Astronomis reddendæ sunt caussæ apparentiarum & *phantasmata* cœlestium. Hæc apparentiæ ortum dederunt his Verbis & formulis, ut dicatur *plenilunium*, *novilunium*: &c. quæ *phases* lunæ appellantur: hæc enim non nisi propter apparentiam sensuum ita appellantur. Hinc est *locus astri verus*, qui etiam vocatur *apparens*, *Eclipsis Solis*, quæ Soli non convenit, sed potius visui nostro. Inde orta est formula loquendi apud Ptolemaicos, ut Cælum dicatur moveri ab Oriente in Occidentem, quod non nisi respectum nostri Horizontis est intelligendum: nam ab altera parte movetur ab Occidente in Orientem. Videatur Clavius in Sphæram de Sacro bosco p. 40. Manifestum itidem talis locutionis exemplum est, quando Apud Astronomos dicitur: *Stellas fixas ingredi Solis radios, item ex iis emergere*, cum tamen neque secundum Copernicum, neque secundum Ptolemæum id stellarum motui, sed vel Terræ vel Solis motui conveniat. Vide sis Repl. Epit. Astronomiæ Copernicanæ lib. 6. part. primâ ab initio. Itaque cum necessitas s^epe requirat, tales locutiones & ne quidem ab Astronomis pos-

possint vitari, multo minus Scripturæ vi-
o vertendum est, si talibus utatur.

V L. Secundò objici potest: Si Scriptura aliquando loquitur juxta vulgi erroneam opinionem, non secundum rei Veritatem: E. statuendum erit cum Pontificiis, Scripturam esse cereum nasum, qui pro lubitu possit flecti, & sic facile omnia dicta Scripturæ adversarii poterunt cludere, si liceat licere: Scripturam ibi ad sententiam vulgi oqui, non ad rei Veritatem. Eandem Objectionem urget du Bois p. 14. *Eo modo agendi semel concessso, nihil tandem certi ex Scriptura colligi & concludi poterit: imo ne quidem in materiis fidei; nam si in Physicis & Astronomicis pro lubitu verba in se se familia & propria, ut tropos, vel phrases loquendi nostro modulo accommodatas, ex honore nobis liceat, cur non & in Theologicis & materiis fidei?*

V II. Resp. Majoris connexio negatur: quomodo enim hæc cohærent? Scriptura de iis, quæ non pertinent ad suum institutum, & de quibus incidenter agit, loquitur non semper ex rei veritate: Ergo etiam de aliis quæ ad ipsius Scopum pertinent, & de quibus ex professo tractat. De rebus autem fidei, quin ex professo sit agendum Scripturæ, nullus Christianus dubitare potest, cum & Scriptura hoc ubique testetur, & re-
rum

rum credendarum natura id requirat: quippe quæ ex rationis lumine cognosci noqueant: An verò æqualis est dignitas materialium fidei & rerum Physicarum? non dicet utique du Bois. Ergo si Scriptura nolit accuratè de his loqui, quod non sint tam momenti, ut ob ea turbentur imperiti à rebus fidei avertantur, non est idem colligendum de materiis fidei. 2. de rebus fidei nulla ratione præsumi potest, Scripturam loqui secundum Vulgi errores, cur sensibus non cognoscantur, adeoque præjudiciis sensuum non sint obnoxiae, imo si quidem in hominum mentes venire possint, nullo prævio lumine revelationis, ut pote excedentes activitatis sphæram lumen naturalis. 3. quod si Ethnici & ~~Æthiop.~~ Scripturæ circa illas erroneas foveantur opiniones, eas eximere est Scripturæ, cui sit ejus iste scopus, ut tradat credenda, non itidem ea, quæ de rebus naturalibus cur errore cogitantur. 4. non pro lubitu expusimus, per istum tropum quo opinio & apparentia rei pro ipsa re ponitur, loca ad ducta, uti diligens lector ex sensus genuini eductione à nobis instituta poterit perspicere: Sed etiam loca Astronomica similiiter exponenda esse ex dissertatione annexa conspicuum fiet.

VIII. Inst. At etiam superius sunt allati

Iata exempla, ubi de rebus fidei loquitur Scriptura ex opinione vulgi, ut in locutionibus anthropopathicis, item testimoniis Scripturæ de rebus practicis & moralibus sermonem facientibus. *Resp.* Nullus locus adductus est, in quo Scriptura articulum aliquem fidei sola revelatione cognoscendum, secundum errorem vulgi explicuerit. Nam Dei natura & attributa non tantum fide cognoscuntur, sed etiam ex Lumine Rationis percipi possunt, & conceptus illi tum ex Lumine rationis possunt corrigi, tum etiam alibi in Scriptura fuerunt emendati. Reliqua Scripturæ dicta, in quibus de rebus moralibus & practicis locutiones vulgares continentur, nullos fidei articulos concernunt uti consideranti patet.

I X. Sequuntur nunc aliæ Objectiones perpendendaæ nobis & refutandaæ. Clarissimus Schookius, quia ut supra meminimus in lib. 4. de Scepticismo ferè capite integrō 19. hanc assertionem sibi refutandam sumvit, primo sic opponit, quod nobis erit loco tertiae objectionis: *Cum Apostolis Christi, & in eorum persona omnibus amanuensibus Sp. S. hac promissio facta fuerit Ioh. 16. v. 15. Spiritus ille Veritatis dux via vobis erit in omnem Veritatem: quis est, qui existimet citra blasphemiam in*

Sp. S. dici posse, quod suos amanuenses, quotiescumque aut ex professo, aut incidenter de rebus naturalibus verba facturi erant, non erudierit de ipsa Veritate, Sed solummodo monuerit, quid ab errante vulgo statueretur? Similia habet. p. 406. Accommodat quidem Scriptura sese nostro captui & infirmitati, sic tamen ut non desinat esse veritatis Spiritus, quo elogio sanè condecorari non posset, si sic sese demitteret ad nostram infirmitatem, ut cum mentientibus mentiretur, & cum errantibus erraret.

X. Resp. 1. Verba Christi Ioh. 16. v. 13. Sunt intelligenda secundum subjectam materiam, & vox *omnis* Secundum illam restringenda: dixerat Christus versu præcedenti, *se habere multa dicenda suis discipulis*: at an illa erant Veritates Physicæ? non utique, sed veritates cælestes de Euangelio Christi, quod debebant annunciarē per totum mundum: Illa ergo Sp. S. erat suppleturus, & re ipsa supplevit, habemusque in Scriptis Apostolicis consignata, in quibus rerum naturalium scientificam explicationem non reperimus. Et ita Belgæ Interpretes: *in alle waerheypdt naemelijck die u noodich sal zijn te meeten tot uytvoeringe van u ampt/ Matth. 28, 19. alsoo dat ghy de selve niet alleen en sult weten/maer docht in het leeren derselbe niet en sult hon-*

Konnen dwalen: id est, *in omnem veritatem qua vobis scitu erit necessaria ad munieris vestri functionem*, Matth, 28, 19. ita, ut illam non solum sciatis, sed etiam in ea docenda errori non sitis futuri obnoxii.

2. non ergo est ulla inter hæc connexio: Sp. Sanctus vos ducet in omnem Veritatem cælestem: Ergo ubi incidenter agit de rebus naturalibus, earum nudam Veritatem proponet, nullis involucris opinionum à fallaciis sensuum obrectam. Sed potius quia hic erat Sp. S. scopus, Veritatem cælestem docere non tantum eruditos, sed etiam plebejos homines, de rebus naturalibus vix ullam cognitionem, quam è præjudiciis sensuum haustam habentes, nullum obstaculum isti cognitioni erat objecturus, per rerum naturalium accuratam explicationem, cuius intelligendæ Vulgus non erat capax futurum, contentus tali rerum naturalium declaratione, qualis à sensibus hauriri videbatur, etiamsi illa non simpliciter *et à nobis* Veritatis esset consentanea, quia talis ad Scopum ipsius sufficiebat.

3. Quare nulla blasphemia in Sp. S. committitur, cum non negetur, id Sp. S. potuisse, sed tantum afferatur, id illum pro singulari sapientia noluisse, uti superius ex Calvino & Pareo vidimus. 4. Nihil veritati Sp. S. detrahitur per nostram affer-

tionem ; non enim , ut cap. primo notavimus , et si cum Vulgo loquatur , etiam cum eo sentit , nec errat cum errantibus , sed tantum errores hos in medio relinquit , se-
se sapienter illis accommodando . 5. Nec dicendus est cum mentientibus mentiri . Non enim is mentitur , qui , exempli gratiā , narrationem falsam assumeret vulgo creditam , etiamsi sibi contrarium consta-
ret , & ejus occasione aliquid scopo suo con-
veniens proponeret ; sed qui talem narra-
tionem proferret , ut illam credendam ho-
minibus persuaderet : ita etiam Sp. Sanctus
dum assumit tales errores vulgi , nec eos
probat nec rationibus confirmat , sed tan-
tum simpliciter scopo suo conformiter ad-
hibet , mentiri non est dicendus . In omni
mendacio intentio deceptionis esse debet ,
quod hic dici non potest : neque enim ad
istas opiniones vulgi verba sua accommo-
dat , ut eas iis , qui non sunt imbuti persua-
deat , sed tantum ut præoccupatis talibus
opinionibus non eximat , ne ab his quæ ad
salutem iis Sunt necessaria credenda ever-
tat .

X I. Secundo loco porro Dn. Schookius
objicit , eritque nobis objectio quarta : Si
statuendum sit , Sp. Sanctum de rebus na-
turalibus loqui ex mente vulgi , aut non
potuerit suos erudire de veritate rerum na-
tura-

turalium, aut si potuerit, noluit. At neutrum dici potest. Prius si statutur, definit Sp. Sanctus esse verus Deus, eo ipso, quod non sit omniscius, & omnipotens. Posterius autem aduersatur Titulo Consolatoris, quem passim in Scriptura fert: nam ut pra invidia (absit dicto blasphemia) videri posset nobis subduxisse, quod ad naturalia, veritatis patefactionem; sic eo ipso definit esse Consolator, quod menti ad Veritatem anhelanti, videatur destinato voluisse crucem figere.

XII. Resp. 1. Hoc dilemma nos non stringit, aperta enim est adhuc via, qua sine omni violentia facile possimus evadere. Concedimus libenter, potuisse Sp. Sanctum quam accuratissime enucleare naturam rerum naturalium. Quis enim verè Christianus hoc audeat negare? cum enim ab illo res omnes habeant existentiam & essentiam, eas utique cognovit, etiam antequam essent, in suis æternis ideis, secundum quas eas in tempore produxit: Et qui fieri posset, ut Sp. Sanctus, qui author est omnis luminis & dator omnis scientiæ, ipse quædam ignoraret? 2. Dicimus itaque Sp. Sanctum noluisse per Scripturas nos erudire de rebus naturalibus quoad ipsarum naturam interiorem, & attributa; cum & ad illarum rerum intelligentiam hominibus Lumen naturæ concederit, ad quod cui

vacet attendere , is possit exinde sufficien-
tem cognitionem naturæ rerum haurire ,
dummodo eo rectè utatur ; & noluerit tur-
bare mentes rudiorum , ne dicere possent
altiora hæc esse captu suo , uti superius ex
Calvino & Pareo didicimus . 3. Non ergo
propterea vel titulus Consolatoris Sp. San-
cto subtrahendus , vel invidiæ nota ipsi in-
urenda. Quid enim quæso Consolationis
ad homines reddit , sive putent Terram mo-
veri , sive Cælum ; (nisi forte dicas , ut jo-
co utar , Si putent Terram quiescere , me-
tum illis hunc eximi , ne fortè unâ cum
Terra in cælum ruant) sive sciant stellas
majoris esse quantitatis , & lucem quoque
majorem in se habere , quam Lunam , sive
contrarium existiment . Est equidem Sp.
Sanctus Consolator , sed hoc suo officio fun-
gitur , dum mentes miseras Sensu iræ di-
vinæ dejectas erigit , ipsis dicendo : *Confi-
de fili mi , remissa sunt tibi peccata tua* ;
dum molestias , quæ ipsis in hac Terra sunt
exhauriendæ , lenit spe & expectatione Vitæ
æternæ , ex cuius consideratione erumpunt
cum Paulo in has voces : *Reor , minime pa-
res esse præsentis temporis passiones gloria in
nobis revelanda* ; dum luctantes cum me-
tu , ne iterum excidant sua salute , certos
reddit , *nihil esse , quod possit eos separare à
dilectione Dei , qua est in Christo Iesu*. His

& si-

& similibus modis Sp. Sanctus officio Consolatoris fungitur. Inst. *At menti ad Veritatem anhelanti crucem destinato videbitur figere voluisse.* Resp. verum equidem est, quod omnes homines naturaliter scire desiderent, sed hoc desiderium in his vel illis variè restringitur, dum vident se ad scientiam non nisi multo sudore & vigilis pervenire posse, quas sustinere vel nolunt, & vel etiam non possunt, propter corporis vel mentis imbecillitatem, curam rei familiaris, aliasque causas, ut non multum sint solliciti, qui fiat, quod magnes trahat ferrum, quæ causa æstus marini, unde falsedo maris oriatur &c. imo vix unquam de iis cogitationem suscipiant, aliis negotiis impediti: quod si tamen in quibusdam remaneat desiderium, ut in omnibus reperitur saltem generale desiderium cognoscendi viam salutis, illis sufficienter satisfit in Scriptura Sacra; cui vero præterea volupte est opera Dei accuratè cognoscere, ei lumen naturale est concessum; quo si rectè utatur, ut judicium semper sequatur perceptionem, saltem ab errore potest esse immunis & ad multarum rerum naturalium cognitionem accuratam pervenire.

XIIII. Sequitur tertia Dn. Schookii Objectio, quæ nobis est quinta: *Sententia hæc, inquit, è diametro pugnat cum intentione*

tione cujuscunque doctoris, abjectissimi quoque, atque è tribu Mechanicorum: quis enim ex omnibus illis, qui non quemcunque ex suis discipulis, saltem nitatur manuducere ad eam Veritatem, quam in arte sua censetur exploratam habere? Secus qui faciunt, invidi, si non malefici haberi debent. Sed si audiantur illi, quos obiter hic notamus, Spiritus Sanctus hac in parte inferior censendus fuerit vilissimo aliquo artifice?

X I V. *Resp. i.* Si hoc argumentum aliquam Vim habere debeat: E. pariter inferret, debere omnes Veritates Physicas, Mathematicas &c. in Scripturâ doceri, quod quâm absurdum sit, nemo non videt, Siquidem Sp. S. debet docere omnem Veritatem, quam censetur exploratam habere, cum omnes habeant exploratissimas, nulla erit, quæ in Scriptura non sit quærenda. Sed si hoc sit intelligendum de Veritate, quæ facit ad scopum artificis & quæ propria est istius artis, quam profitetur: E. cum ad scopum Sp. Sancti sufficiat Veritas Euangelica de reconciliatione gratuita hominis peccatoris coram Deo, & quæ ei sunt conexæ, sufficit illas Veritates à Spiritu S. doceri, quod ab eo fieri quâm plenissimè omnino statuimus: quid vero faciant ad istum Scopum Veritates Physicæ, ex. gr. *Terram moveri, Lunam esse minorem stellam*

lis &c. & cur non sine iis scopum suum obtinere possit, equidem non video. Quemadmodum enim sufficit artifici Mechanico Si usum instrumentorum in artis exercitio necessariorum discipulo suo monstret: ex. gr. fabro ferrario, si usum mallei, incudis, & aliorum instrumentorum, dexteramque eorum applicationem ostendat, etiamsi non doceat, quæ sit natura ferri, quænam ejus generatio &c. quamvis etiam sciat forte discipulum erroneous de materia, forma & constitutione instrumentorum fovere opiniones. Ita etiam sufficit Sp. S. Si ostendat, quomodo res naturales nos ducant ad cognitionem Dei, sapientiæ ejus, bonitatis & potentiarum, ad quod sufficit cognitio quæ de iis per sensus haberi potest, quamvis errores quosdam habeat adjunctos. Inst. At dicas: saltem nihil falsi debet tradere. Resp. concedo non debere cum docere aliquam falsitatem, quod fieret, si eam confirmaret, ut hominibus persuaderet, quemadmodum facit Sp. Sanctus, quando fiduci articulum adstruit, sicut videre est in Paulo ad Romanos probante justificationem per fidem; item 1. Cor. 15. resurrectionem carnis adstruente: at nego propterea eum non posse assumere locutiones vulgares, ab opinione falsa desumptas, iisque incidenter uti: non enim tenetur falsitatem

tatem ubique refutare, sed potest eam in medio relinquere, & interim cum vulgo loqui, ne ille turbetur, sed rem quam principaliter Scriptura tractat, intelligere queat. 2. Non ergo inferior erit censendus Sp. Sanctus hac in parte quovis vilissimo artifice, cum Veritates Cælestes, quæ propriæ sunt istius artis, voce artis generaliter accepta, quam in Scriptura Sacra tradit, sufficientissime, dexterimè & sapientissimè explicet, ita ut in illa explicatione nihil possit desiderari; de rebus naturalibus etiam tantum delibet, quantum opus est ad salutarem rerum divinarum cognitionem.

X V. Pergit Vir doctissimus objicere, quæ in nostra enumeratione est Objectio sexta: *Quod scriptum censeri debet purissimum, atque ab omnibus sordibus naviisque defacatum, in eo non debet notari quid falsi, aut quod serviat corroborando errori.* Sed talis est Scriptura. Consequentia est certissima. *Quis enim Scriptum illud purum & defacatum esse censeat, in quo sive studio ipsius Autoris sive per imprudentiam ejusdem, sive quacunque alia ratione errores aliqui commissi notantur?* Minor vero ex pluribus Scriptura textibus probari potest: *ex quibus hi præcipui Ps. 12. v. 7. Dicta Iehova & dicta pura; argentum purgatum in cassino lectissimo Terra.* Ps. 19. v. 9. *Præceptum Iehova*

Iehova purum, illustrans oculos. Proverb. 39. v. 5. Totus Sermo Dei purgatissimus est. 1 Pet. 2. v. 2. Lac Sermonis sincerum. Apoc. 19. v. 9. Verba Dei vera sunt. Necessum ergo periculosa sententia patroni, quod major propositio invicti sit roboris in dubium vocent assumptionem, ac pariter ipsius Scriptura infallibilem Authoritatem.

XVI. *Resp. 1.* Purum variis modis accipi potest: est enim mundum sive quod à fardibus corporis est liberum; 2. purum est, in quo nihil est heterogenei admixtum, quod non sit ejusdem naturæ specificæ cum eo, cui puritas tribuitur. Sic aurum & argentum vocantur pura, non tantum, si nullas habeant scorias, sed etiam, si non sint colliquata cum aliis metallis. 3. purum accipi potest pro vero, cui nulla est admixta falsitas; 4. pro sancto, cui nullum Vitium, nulla macula adhæret. 5. pro simplici, nudo: ut purus homo, qui non est Deus. Prior ex his significationibus Scripturæ applicari non potest: secunda significatione Scriptura est pura, quatenus sola Dei Verba à Deo revelata proponit, nihilque traditionum vel commentorum humanorum habet admixti: tertia significa-
tio etiam locum habet, quia nihil, quod in ea traditur & docetur, credendumque proponitur, est falsum, sed pura puta veritas:

de quarta significatione res est certa; sanctissima est Scriptura, à Deo quippe Sanctissimo & fonte omnis sanctitatis profecta: quinta item significatio applicari scripturæ potest, quatenus est Verbum solius Dei, non hominum. Disquirendum itaque restat, num ad Puritatem Scriptura requiratur, ut non proponatur lingua aliqua Vulgari, in qua sunt multa locutiones Vulgares à communi loquendi usu desumpta, erroneis opinionibus innitentes, à sensuum præjudiciis plerumque haustis? aut si proponatur lingua Vulgari, an saltem omnes tales locutiones evitari debeant, imo ubi occasio fert in contrarium sermo vertendus, errorque vulgaris notandus & refutandus? Nos dicimus, hoc modo nihil quicquam puritati Scripturæ decadere: Si enim sic quicquam decederet Puritati Scripturæ, non fuisset illa exaranda lingua aliqua vulgari recepta, qualis Hebræa & Græca & quævis aliæ: multas enim esse locutiones Vulgares in Hebræa & Græca lingua nimis quam clarum est, & superius ex Iunio ad Deut. 3. didicimus Scripturam V. T. loqui, quemadmodum *Hebrei loquuntur populariter*. Invenienda ergo fuisset nova lingua, in qua voces accuratissime rebus respondeant, omnesque vulgares locutiones fuissent exterminatae. Sed à quo intellecta fuisset?

set? saltem vulgus fidelium, cuius tamen usui est tradita vix quicquam in ea præfecisset. Si vero debuisset semper, ubi occasio ferret loco locutionum vulgarium usurpare accuratas & errores vulgares refutare, major perturbatio fuisset orta, quam si Scriptores N. T. à versione vulgata 70 in omnibus debuissent recedere, per quam causam à Riveto & Voetio Apostolicum hoc factum defensum fuisse, superius cap. 2. art. 6. vidimus, quemadmodum hoc jam aliquoties monuimus. Distinguamus ergo hīc res enunciatas & modum enunciandi. Res enunciatae in Scriptura à Deo nobis credendae & faciendae propositae, sunt purum Dei verbum. Modum enunciandi etiam quod attinet ipsarum linguarum originalium respectu, eatenus etiam Scriptura est verbum Dei, quatenus omnia & singula Verba censemus à Sp. Sancto esse inspirata: sed si illum modum enunciandi consideres cum respectu formularum loquendi, dicimus Scripturam Sacram hic fuisse usam formulis loquendi receptis, et si inniterentur opinionibus erroneis, & eo sensu non esse purum Dei verbum, si spegetes tantum Dei naturam, quomodo ab ipso profici sci potuerit & debuerit conformiter divinæ naturæ, si forte Angelis tantum loqui voluisset, cum se accommodare

voluerit ad hominum naturam , quibus-
cum ipsi esset negotium. Sed absolutè lo-
quendo hoc nihil de puritate decerpit ; si
enim Concionatorum Verba dicantur pu-
rum Dei Verbum , quatenus consentiunt
cum Sacra Scripturâ, etiamsi modus propo-
nendi plane sit humanus , multo magis pu-
rum Dei Verbum dici potest id , quod tūm
quoad res enunciatas , tum quoad modum
enunciandi à Deo est profectum , quamvis
locutionibus utatur vulgaribus, quæ com-
mode evitari non possunt. Major itaque
Objectionis propositæ, quæ invicti habitur
roboris , hoc modo limitata non procedit :
Si Scriptura habet quasdam locutiones Vul-
gares ab errore desumptas , quem non refu-
tat , eoque refutato veritati convenienter
loquitur: E. non est pura. Ostendimus enim
hoc Scripturæ puritati nihil detrahere.

XVII. 2. Quod si speciatim loca alla-
ta consideremus , videbimus ea parum ad
rem facere Psal. 12. v. 6. præcedente , Do-
minum ipsum induxerat dicentem : se jam
surrectum & populo suo vastato & affli-
cto salutem allaturum ; id versu 7. confir-
mat , ostendendo Verbo Dei omni dubita-
tione rejectâ , quam firmissime ac securis-
sime esse credendum & innitendum. Sermo
est ergo de Veritate promissionum divina-
rum , unde non sequitur Verbum Dei in
locu-

locutionibus de rebus naturalibus & aliis nullam formulam Vulgarem errori Vulgi innitentem adhibere debere. Ps. 19. v. 9. ostenditur ex Verbo Dei regulam Vitæ posse hauriri , ut non opus sit commentis & fragmentis humanis , cui non adversatur , si Verbum Dei circa alia loquatur populariter & ex Vulgi opinione. Proverb. 30, 5. quia præcedenti versu ostensum fuerat sapientiam & viam ad salutem cognitu esse difficultem , hoc versu remedium huic difficultati docetur esse paratum per Verbum Dei , quod sit purum & immaculatum & ab omnibus commentis liberum ; atque adeo exinde nihil magis contra nos infertur , quam ex præcedenti loco, Similiter 1 Pet. 2, 2. nihil aliud indigitatur , quam , si velimus augeri & crescere incremento Spirituali , nos non alio nutrimento debere uti , quam Verbo Dei ab omnibus humanos commentis sejuncto. Apoc. 20. 9. dicitur , quod verba illa præcedentia , quibus vocatis ad Cœnam spiritualem salus promittitur , sint vera , & firma , ut tutò quis iis inniti possit , & ad Cœnam illam spiritualem sine metu accedere. Cui veritati nihil decedit , etiam si Verbum Dei per occasionem in declaracione istius vocationis & salutis , quæ continetur in toto Canone V. & N. Testamenti , aliquando incidat in locutiones

vul-

vulgares atque adeò minus accuratas ; quemadmodum satis ostensum in responsionibus nostris ad Objectionem primam.

XVIII. Quintam tandem objectio-
nen his verbis proponit , quæ inter nostras
septimum obtinet locum : *Si quid tribui
mereatur sententia , quam recentiores qui-
dam mordicus tuentur in thesi , quasi , sed
pro hypothesi Pythagoreo-Copernicana , vi-
cerint Valentiniani Marcionita , Basilidia-
ni , Anabaptista , VVeigeliani & quotquot
negant Christum Dei filium veram huma-
nam naturam assumisse , siquidem , ut li-
bro proximo videbimus jam olim Marcion
dicere solet carnem & ea quæ sunt hominis
Christo in Scripturâ tribui duntaxat secun-
dum externam speciem . Homogenea sunt
his , quæ habet du Bois p. 14. quando sic
inquit : *Marcion ejusque assecla negabant
Christum fuisse verum hominem , & eum
hominem vocatum volebant , quia videba-
tur homo , non quod reverâ talis esset . Ne-
mo nostrum non abhorret ab illo modo inter-
pretandi S. Literas . At quomodo possibile
est tutari Orthodoxam S. Scriptura interpre-
tationem , contra illos , aliosque similis
farina hereticos , nisi fundamentum jam
positum , de non recedendo à proprio Verbo-
rum sensu , absque necessaria ratione firmi-
ser retineamus ? Et quis tandem absurdita-
tum**

tum finis quæve porta hæretibus quibuscumque non aperietur.

XIX. *Resp.* Non ita facilem concedimus his hæreticis victoriam; neque enim in Majori ulla connexio Antecedentis cum consequente ob magnam diversitatem dogmatum fidei & naturæ: nam 1. de Christo ejusque natura humana agit Scriptura non incidenter, sed ex instituto, estque illa doctrina propria Scripturæ, cum directè faciat ad salutem, illam ergo accurate in Scriptura explicari, negari non debet: at de rebus naturalibus agit incidenter, non ut earum naturam explicit, cum hæc ad salutem non requiratur, sed ut per earum cognitionem quamvis παχυλήν, sive crassam nos ad Dei & divinarum rerum cognitionem deducat. Adeoque 2. non tantum semel Scriptura carnis & ossium Christi mentionem facit, sed ejus conceptionem, nativitatem, educationem, conversationem diuturnam cum hominibus; ejus partes, animam & corpus, proprietates humanas &c. tam accurate describit, ut hæc omnia attentè consideranti mente à Sp. Sancto illuminatâ, non possit talis hæretica cogitatio in mentem venire. 3. in Exemplis quæ nos de rebus naturalibus adduximus vel senior Philosophia ostendit, vel etiam ipsa Scriptura aliis in locis, non posse hæc

90 CHRISTOPH. WITTICH.
hæc accipi secundum rei Veritatem , uti exempla allata consideranti patebit , adeoque satis necessaria tum est ratio a proprio Verborum sensu recedendi; at nunquam isti hæretici vel ex Sana Philosophiâ , vel ex aliis Scripturæ locis ostendent , non posse Christo competere veram naturam humānam. Imò Philosophia sana supponens ea , quæ Scriptura de Christo tradit , ut , cum dicitur , quod nobis esse similis quoad omnia debuerit , excepto peccato , elicit & concludit : Christo ergo veram naturam humanam , corpus finitum , locale & circumscriptum competere. Et ut summa omnia complectar: A dogmatibus Phisicis & Philosophicis ad dogmata fidei & salutis argumentari non licet , quasi de iisdem eodem modo agere & loqui Scriptura deberet.

C A P V T V I.

Aliæ quædam Objectiones discutiuntur & refutantur.

I. **L**oco Objectionis octavæ considemus verba Dn. Schookii quæ habet 406. *Verum quidem est , per Scripturam nos à rebus inanibus ad caelestia & perennia invitari , interim tamen propterea non debuit loqui de rebus naturalibus cum errante vulgo : sic enim ostenderet se se dele-*
Etari

etari rebus inanibus. Quid enim errore vulgi inanius censerri potest.

I I. *Resp. 1.* Scriptura Sacra descendendo ad captum vulgi , ita ut etiam secundum ipsius opinionem erroneam loquatur , non propterea ostendit se delectari rebus inanibus, sed tantum se eò usque etiam velle demittere , ut , quemadmodum pater cum suis infantibus loquitur & balbutit , etsi sciat istas formulas loquendi infantium non quadrare ad veritatem , ita pariter nobiscum balbutire velito . 2. is qui se alterius accommodat infirmitati , non propterea ista infirmitate delectatur, sed eam quidein vult mutatam , si fieri posset. Sic Deus quia alia media concessit , per quæ error circa res naturales tolli possit, lumen nempe naturæ , quo si quis rectè utatur certum est non futurum erroribus obnoxium , eo ipso velle censendus est , ut errores circa res naturales quatenus sunt quædam imperfectiones tollerentur. attamen quia talis imperfectio , talis error saluti non obeft , non vult eum per Scripturam tollere, quod alias procul dubio effet facturus, sed tamen propterea non gaudet , non delectatur ei , sed fert , tolerat. Et quemadmodum Deus ferendo divertium , & certas formulas ei præscribendo, videbatur condescendisse Iudæorum duritiei , ita hic loquendo cum vulgo

vulgo ejus ruditati sese accommodasse dicendus est; at inde vel divortio vel ruditate & erroribus eum delecta tum fuisse non censendum. Sic Deus etiam tollere potest peccatum, an vero quia non tollit censendus est eo delectari. Inst. At dicas: Sic etiam confirmaret errorem. *Resp.* ad hoc responsum peti potest ex primæ Objectionis refutatione; nam et si loquatur Scriptura cum Vulgo, eam tamen cum eo sentire dici non debet.

III. Atque sic objectionibus Cl. Schookii est satisfactum, nunc restat ut ad alias quasdam Objectiones respondeamus; & sic huic quæstioni finem imponamus. Nę ergo objectio ex Vallesio depromi talis posse videtur: *Si Scriptura de rebus naturalibus loqueretur ex vulgi opinione: E. vide-retur velle nos celare rerum naturalium cognitionem: At nulla est caussa ob quam debeat celare, E.*

IV. *Resp.* Hoc tantum colligi ex nostra sententia potest, quia Scriptura de rebus naturalibus loquitur non accurate, sed secundum vulgi opinionem erroneam, nolle Deum, ut ex Scriptura petamus earum rerum explicationem, non vero velle Deum eas nobis absolutè esse incognitas, nam ad eas inquirendas lumen naturæ concessit, uti jam saepe est ingeminatum. Caussæ etiam,

etiam, ob quas eas in Scriptura nolit explicare, jam sunt datae, quod accurata eorum explicatio non conveniret, auditoribus promiscuis Scripturæ, quorum imbecillitas eas non caperet, quique facile turbarentur, si in Scriptura reperirent, quæ tam manifeste pugnarent cum sensuum præjudiciis, quæ ipli habent pro Veritatisbus per lumen naturæ cognitis.

V. Huic subjungamus Objectionem decimam ex Revii Verbis, Stat. p. 47. desumtam: *Si Scriptura loquatur aliquando ex opinione erronea vulgi, Ergo nemo certus erit, an non ea qua de Cœli & Terra creatione &c. docentur, sint ejusdem naturæ.*

V I. Resp. Regula per quam quis scire possit, ubi Scriptura loquatur ex rei Veritate aliquoties est data, nimirum, quod ubi agit de propriis dogmatibus, de dogmatibus fidei & salutis, loquatur non secundum opinionem Vulgi, sed veritatem rei nudam, in quantum ea nobis ad salutem cognitu est necessaria, nobis explicet, aut faltem quod in uno loco accommodando se ad nostram imbecillitatem intellectus protulerat, id alio in loco accuratius declareret. Articulus verò de Creatione est articulus fidei, præsertim si modum & Circumstantias spectes: quamvis enim ex Lumen naturæ possit colligi, Deum esse Crea-

Creatorem, quia cognoscitur, ut Independens & ut conferens omnem perfectionem omnibus Entibus, tamen quomodo creaverit omnia & quando &c. debet ex Scriptura cognosci. 2. absurdum foret dicere Scripturam de Creatione loqui, secundum vulgi opinionem, quandoquidem nullus homo creationi interfuit, ut præjudiciis sensuum circa eam nullus esse potuerit locus. 3. nec de Creatione vulgus citra Scripturam solet cogitare, unde præjudiciis non potest esse locus, sed de Luna, Sole, altitudine Cæli & similibus cogitare solet, inque istis cogitationibus sequi dictum sensuum & secundum illos judicia formare.

VII. Objectio undecima peti potest ex verbis Lentuli Novæ Sapientiæ p. 84. *Hanc sententiam vel ad Dei contemptum, vel ad purioris Religionis negationem stadium aperte.*

VIII. Resp. Nullum est periculum, nam res fidei semper exceperimus, in iisque Scripturam hominibus Veritatem nudam, quantum ea ad salutem cognitu est necessaria proponere dicimus, ut quod in uno loco obscurius est dictum, vel ubi Scriptura sese ad intellectum infirmiorum accommodavit, in altero plenius nihilominus explicetur. Scimus puriorem Religionem non aliunde petendam, quam ex revelatione;

ne; illam autem posse haberi sine accurata
rerum naturalium cognitione æque novi-
mus.

I X. Tandem colophonem imponemus
huic Quæstioni per refutationem Obje-
ctionis duodecimæ ex Verbis Lentuli No-
væ sap. p. 177. desumptæ. *Sententiam no-
stram insignem esse non magis novitate,
quam impia arrogantia.*

X. Resp. 1. Quod ad novitatem attinet,
sciendum est à novitate non debere alicui
sententiæ præjudicium creari, nisi eadem
opera omnia quæ homines sentiunt de re-
bus quibuscumque velimus rejicere, omnia
enim hæc aliquo tempore fuerunt nova,
tum nempe quando primum inventa sunt:
& per talem ratiocinationem omnia quæ
habet Aristoteles contra veterum Philoso-
phorum placita ab ejus sequacibus essent
rejicienda. Id quod nunc est novum, ali-
quando fiet antiquum, & quod est anti-
quum, aliquando novum fuerit necesse est.
2. Si spectes Lumen naturale menti homi-
nis inditum, illud satis est antiquum, sed
cum per illud aliqua Veritas eruitur, ea qui-
dem, quatenus tum demum detegitur,
nova dici potest, sed tamen quoniam est
Veritas, antiqua sat est, utpote quæ ab æ-
terno in mente Dei fuerit. 3. quemadmo-
dum novas Terras detexisse gloriosum est,
& Ve-

& Vesputio Columbo & aliis insignis gloria inde accessit; ita novas Veritates detegere procul dubio, si rem ipsam spectes, gloria & laude est dignum, quamvis ab invidis antiquariis, qui verentur, ut ipsi tandem cum suis veteramentis exhibilandi sint, dente Theomino rodatur. Sic novas veritates in Matheſi detexisse quovis tempore fuit gloriosum: Sic ex Scriptura novas observationes depromſiſſe multis in laudem cefſit, qui etiam librorum titulos his Epithetis condecorare non erubuerunt, uti patet ex. gr. ex libello d'Espagne, qui inscribitur *Nouvelles observations sur le symbole de la Foy*, & ſimilibus. 4. an vero ea ſententia pro nova fit habenda, quæ calcu- lo tot Theologorum nititur, uti ſuo loco eſt demonstratum, judicent lectores: quamquam non diſſiteor his hominibus videri novam, ut & multa alia, quæ ab iſpſis non ſunt cognita, ſed nos hoc illorum judicium parum curamus. 5. Quomodo verò impia arrogantia hæc ſententia fit insignis, oſtentat ſi poſſit Lentulus. Nihil in eo impietatis, uti patet ex Objectionum superiorum refutatione, nihil arrogantiæ, ſi afferas id quod iſpa res docet, firmisque rationibus comprobēſ, niſi forte nimis magna fit arrogantia ab iſtis Patronis Veritatis ſcilicet in omnia alia abire. Hæc ſunt quæ ex Len-
tuli

tuli Novâ Sapientiâ à me tanquam Objectiones contra hanc sententiam erui potuerunt, reliqua meræ sunt Rhetoricationes, nihilque continent, nisi quod in præcedentibus responsionibus jam satis est refutatum.

C A P V T VII.

*Argumentis aliquot probatur Physicam
ex Sacris Literis non esse
hauriendam.*

I. **H**is ita discussis, & stabilitâ nostrâ sententiâ, quod Scriptura sæpiissimè de rebus naturalibus loquatur secundum erroneam vulgi opinionem, non secundum accuratam rei Veritatem, aditus nobis est factus ad alterius quæstionis discussionem: *An ex Scriptura possit peti cognitio rerum naturalium, ut integra Physica ex ea sit educenda?* Nos negativam tenemus firmatam sequentibus argumentis, & ab Objectionibus contrariis liberatam.

II. Primum argumentum ex hac tenus disputatis facile nec̄ti potest: Si enim Scriptura, ubi incidit in sermonem de rebus naturalibus loquitur de iis non uti sunt, sed ut apparent, & plerumque vulgi opinionem potius sequitur, quam accuratam rei veritatem. E. frustra eris si ex ea velis Physicam

98 CHRISTOPH. WITTICH.
ficam accuratam & demonstrativam sci-
entiam educere. Antecedens haec tenus à no-
bis tum argumentis, tum exemplis & te-
stimoniorum Scripturæ abunde est probatum.

III. Secundum argumentum petimus à
fine Scripturæ. Fines Scripturæ in ipsa Scri-
ptura nobis recensentur 2 Tim. 3, 16, 17.
Tota Scriptura divinitus est inspirata, &
utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad
correctionem, ad disciplinam in Iustitia: Ut
perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum
perfecte instrutus. Deut. 6, 1, 2. Hoc est præ-
*ceptum, statuta, judiciaque illa, qua præce-
pit Iehova Deus vester, ut doceam vos, ut*
exerceatis ea in terra; ut timeas Iehovam
Deum tuum observando omnia statuta ejus
& præcepta ejus, qua ego præcipio tibi, Rom.
*15, 4. Quæ ante scripta sunt, ad nostram do-
ctrinam ante scripta sunt, ut per tolerantiam*
*& consolationem Scripturarum spem habeam-
us. Ioh. 20, 31. Hac autem scripta sunt,*
ut credatis Iesum esse Christum illum filium
*Dei, & ut credentes vitam habeatis per no-
men ejus. Omnes autem Fines Scripturæ*
secundum ductum loci 2 Tim. 3. referri
possunt ad hos quatuor: ad doctrinam, ad
redargutionem, ad correctionem, ad di-
sciplinam in Iustitia. Utilis est autem Scri-
ptura ad doctrinam non quamvis, sed ex-
pli cantibus Belgis, quæ est de capitibus

Chri-

Christianæ Religionis, ad redargutionem
rrorum in fide, ad correctionem Vitæ &
norum pravorum, ad disciplinam in Iu-
nitia ostendendo, quid justum & injustum,
onestum & turpe sit. Nullibi autem inve-
imus finem Scripturæ esse instructionem
cognitione Philosophiæ Naturalis. Ne-
ue etiam Theologi quando fines Scriptu-
ræ recensent, unquam inter eos referunt
cognitionem & Sapientiam Philosophi-
am. Cum autem Finis mediis præscribat
ordinem & mensuram, æquum est, ut hæc
li sint adæquata non latiora nec angustio-
ri. Ergo existimandum est à Scriptura et-
m non alia præscribi media, quam quæ
cognitionem salutarem sunt appropria-
, & sine quibus illa obtineri non possit.
erum enim verò tantum abest, ut æsti-
mus sine explicatione naturæ rerum
opum suum Scripturam obtinere non
esse, ut certum sit potius sufficere πάντα
& crassiorem rerum naturalium expli-
cionem, qualis per sensus & experientiam
beri potest. Sufficit si Scriptura nos sa-
ntes reddat ad salutem, 2 Tim. 3, 15.
in non Sapientes in rebus Physicis: Suffi-
, si per eam perfectus reddatur homo Dei
agens rerum divinarum, et si homo mun-
vel Philosophus inde parum de rebus na-
turalibus cognoscat. Adde, Si hic inter alios

200 · C H R I S T O P H . W I T T I C H .
eſſet finis Scripturæ, ut nobis enuclearet
interiorem rerum naturalium eſſentiam,
futurum, ut ſi non de omnibus rebus natu-
ralibus in ſpecie ageret, ſaltem fundamen-
ta talia jaceret & principia poneret, ex qui-
bus opera artificum omnia erui poſſent,
quod fieri nullibi videmus.

I V. Sed hīc audias obſtrepentem Re-
vium stat. Suæ p. 321. *Hoc argumentum*,
inquit, *præſupponit, vel de natura nihil agi*
in Scriptura, quod falſum eſt, vel qua in
ea de rebus naturalibus non pertinere ad
doctrinam &c. quod itidem falſum eſt, vi-
de Ps. 8, 19, 104. Rom. 1. & infinita alia
loca, qua contrarium evincunt.

V. *Reſp. 1.* Quò tendat hoc argumen-
tum liquet ſatis ex præcedentibus, eò ni-
mirū, ut ex mediorum ad Finem pro-
portionē manifestum fiat, non quærendam
in Scriptura rerum Phyſicarum naturam
accuratè explicatam, ſed ei, cui curæ ſin-
hæc Sacra, aliis principiis innitendum. No-
autem negamus de natura vel rebus natu-
ralibus agi in Scripturis, dummodo nobis
concedatur, id fieri tantum incidenter
παχυλῶς, non ἀρετῶς, & ex iſtituto; &
quidem modo, ut quantum dererum na-
tura ſenſus externi & experientia docent
id à Scriptura аſſumatur, ſive ea ſenſuum
apparentia cum veritate congruat, ſive

ea recedat. 2. quando Scriptura docet finem suum inter alios esse doctrinam, intelligit utique Doctrinam non quamvis, sed salutarem, sed illam quæ est de Articulis fidei, uti superius ex Belgis interpretibus didicimus, unde benè inferimus, cum nullius alterius finis mentio fiat, quam istorum quatuor de quibus 2 Tim. 3. ejus ergo finem non esse Doctrinam Physicam; quamvis autem faciles largiamur cognitionem rerum naturalium eatenus ad Doctrinam salutarem prodesse, quatenus ex iis cognoscentur existentia Dei, potentia, sapientia, bonitas, &c. ad id tamen sufficit cognitio qualiscunque, qualem etiam Vulgus obtinet, cum liber naturæ patet plebejis juxta ac eruditis, quamvis fatetur multo uberiora exempla cognoscendæ divinæ potentiae, Sapientiae, & bonitatis &c. reperiri in rerum natura ab iis, qui per lumen naturæ eam habent accuratius cognitam, quam ab illis, qui ultra vulgarem cognitionem non ascenderunt. Hic autem commodum notanda Verba Riveti in Isagoge ad Scripturam Sacram p. 49.
Dum Scriptura versatur præcipue circa ea, quæ gratiam, & gloriam æternam spectant, cognitionem omnem Philosophicam ipsa sibi substernit, eaque rerum naturis tantum sumit, quantum opus est ad fabricandum Speculum,

102 CHRISTOPH. WITTICH.
culum, per quod divina oculis nostris quam
dam tenus representantur.

VI. Cl. Schookius similiter ad hoc ar-
gumentum excipit p. 405. Quamvis non
diffitendum sit, primarium Scriptura Sacra
Scopum esse, ut nobis viam monstret ad vi-
tam aeternam; hic tamen principalis finis
non excludit alios minus principales. Cum
enim haec ipsa variis in locis res naturales,
earumque seriam meditationem nobis pro-
ponat, ut objective nos excitent ad Deum
laudandum, quis dubitare ausit, quin de
his ipsis rebus veras assertiones proponat,
quarum subsidio rerum naturalium cogni-
tionem acquirere queamus. Item p. 406. Ve-
ra explicatio rerum naturalium à Spiritu
Sancto in Scriptura proposita nequaquam a-
vertit fideles à primario Scriptura Scopo, sed
illa eos ipsis convenienter ad eundem scopum
dirigere potest.

VII. Resp. 1. Nec primarium, nec se-
cundarium Scripturæ finem esse reddere
hominem eruditum in Physicis ostensum.
2. et si Scriptura per res naturales velit nos
excitari ad Deum laudandum, tamen non
propterea cognitio accurata rerum natu-
ralium inter fines Scripturæ reponenda est;
& ad id sufficit cognitio Vulgaris, aut si
quis velit plura argumenta habere Dei lau-
dandi illi accuratiorem rerum naturalium

cognitionem è libro naturæ petere licebit, ut etiam art. 5. vidimus. 3. non dicimus, quod ipsa vera explicatio rerum naturæ homines fideles avertat à primario Scripturæ Scopo per se & sua natura, sed tamen existimamus cum Theologis supra vi- sis, facile fieri potuisse, ut rudiores turba- rentur, si in Scriptura de rebus naturalibus tam subtilia reperissent captum suum ex- cedentia, vel etiam sensuum præjudiciis contraria.

VIII. Danæus etiam Phys. Christianæ parte prima, cap. 2. excipit contra hoc no- strum argumentum, dicendo: *Nonne ab iisdem ipsis Theologia & Ethica Philosophia pars toto genere discernuntur? Et tamen quis eorum tam temerarius erit, qui Ethicen, eamque verissimam & universam Sa- cra Scriptura tradi negare audeat?* Ergo di- stincti artium & tractationum fines non obstant, quo minus eadem Sacra Scriptura iisdemque literis & Physice illa universalis & Theologia sit comprehensa, quia & ipsa Physica quodammodo Theologia pars est, il- lique subservit.

IX. Resp. 1. Ita quidem vulgo obtinet, ut Ethica diversa tradatur à Theologia practica, quodam rectè fiat, non est hujus loci prolixius disputare. Amesius tamen lib. 2. Medullæ Theologicæ cap. 2. ab illa

vulgata sententia recedit , statuens non aliam debere dari Virtutum disciplinam , quam ipsam Theologiam. Nec ab ejus sententia ratio abludit. Certum quippe est , non nisi gradibus differre virtutes morales ita dictas à Virtutibus Christianis ; at gradus non mutat Speciem , uti fert vulgata sententia. Et an non absurdum disciplinarum distinctionem ex modo tradendi aliquid perfectè vel imperfectè eruere ? quis unquam audivit Physicam aliquam imperfectè explicatam esse aliam specie disciplinam à Physica perfectè explicata ? quin ergo hīc lux major extinguit minorem , gradus perfectior absorbet imperfectiorem , & quemadmodum in vita æterna Fides mutabitur in Visionem ; ita exorta Euangelii Luce , id quod imperfectum ex lacunis Ethnicorum de Virtutibus moralibus est haustum , per illud perfectum absumitur , inque illud transmutatur. Itaque Sic Daniæ exceptio sponte sua collabascit , unde & diversitatis ratio apparet inter Physicam & Ethicam , quod Scripturæ finis sit mores nostros secundūm normam legis divinæ informare , unde moralia præcepta perfectissima tradit , non vero rerum naturalium essentiam enodare , uti ostensum. 2. qui verò volunt distinctas esse Ethicam & Theologiam practicam disciplinas , illi à

diversitate Principiorum limites iis ponunt, nimirum, ut Ethica tantum tradat illas regulas morum, quæ è reliquis luminis naturalis possunt erui, sed Theologia practica eas, quas divina revelatio præscribit. Ergo secundum hanc sententiam Scriptura non traderet Ethicam, sed Theologiam practicam tantum, adeoque nec hac ex parte allata exceptio nobis obest.

X. Tandem etiam ad exceptionem du Bois aliquid est respondendum: Ita autem ille p. 9, & 10. *Apostolus ibi agit de rebus creditu & actu necessariis ad salutem, & de fundamentis fidei salvifica: ad qua Scripturam sufficientissimam esse nemo Orthodoxus negat, sed non negat Apostolus textum Biblicum habere usum præter illa necessaria. Quid? annon habemus multa Historica, Chronologica, Physica, aliisque qua citra salutis dispendium ignorari possunt? an ergo propterea poterunt illa floccificari, vel argumenta inde deducta rejici?* Verum Christianum decet testimonia Sacra in omni materia arripere ut verissima; & doctrinam suam ad ea formare?

XI. Resp. 1. Si Apostolus agit ibi de rebus creditu & actu necessariis ad salutem, nec possit aliquid amplius à Scriptura exigi, uti certum est, cum per horum traditionem muneri suo satisficerit: Ergo non est,

est, quod in ea quæramus rerum naturalium explicationem accuratam, quemadmodum superius recte intulimus, at inde non negamus quin agat de rebus naturalibus, Sed incidenter & prout apparent. Quemadmodum enim, et si Apostoli usi fuerunt versione 70. etiam ibi, ubi ab Hebreo textu recessit, inferri non potest, Apostolos errores illos istius versionis approbasse, ita cum circa res naturales sit par ratio, etiam presumendum est simili modo Scripturam sese accommodasse. 2. non negamus etiam Scripturam agere de historicis & Chronologicis, sed illa quamvis non pertineant ad essentiam fidei, tamen faciunt ad ejus amplitudinem, defensionem & explicationem. Si etiam quædam historica & Chronologica, quæ ad fidei amplitudinem non faciunt, sint in Scriptura, de iis agit etiam tantum incidenter. Quod autem incidenter agens de rebus naturalibus, non semper sequatur accuratam Veritatem, inde existit, quod homines per sensus varia præjudicia de iis hauserint, quæ non habent pro natura notis: at non ita est comparatum cum rebus historicis, ubi si homines forte falsi aliquid habeant præconceptum, id fundatum est in autoritate humana, cui cum videant opponi auctoritatem divinam, possunt ab eo deflectere.

Imo amplius dicam: Si aliquid in historicis fuerit, quod communiter ab hominibus pro vero esset receptum & firmiter radicatum, dummodo illud non pugnet cum fide, etiam hic Sp. Sanctum pro sua sapientia se hominibus errantibus accommodaturum fuisse, si non potuisset sine magna turbatione simpliciorum contrarium doceri, simili modo, quo vidimus supra, Apostolos condescendisse hominibus in usurpanda versione minus correcta.

XII. Sequitur tertium nostrum argumentum. Sed non tantum non docet Scriptura, finem suum esse doctrinam rerum naturalium, verum etiam ita in solidum doctrinam salutis sibi vendicat, ut non querendam in se dicat sapientiam humanae five Philosophiam. Considerentur ea quæ Paulus habet i Cor. 1, 22, 23. *Quandoquidem eorum Iudei signum petunt, eorum Graeci sapientiam quarunt: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudeis quidem offendiculum, Gracis vero stultitiam.* Item i Cor. 2, 6, 7. *Sapientiam vero loquimur inter adultos, sapientiam autem non seculi hujus, neque principum seculi hujus, qui abolentur: sed loquimur sapientiam Dei in mysterio.* Et v. 12. *Nos vero non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui est ex Deo, ut sciamus: qua Deus est nobis gratia-*

103 CHRISTOPH. WITTICH.
ficatus. Sapientiam mundi vocat eam, quæ
homines seculi naturali perspicacia in rebus
mundanis theoreticis vel practicis excelle-
re possunt, cuiusmodi Sapientes Gracia præ-
fertim jactabat Thaletem. Solonem, Socra-
tem, &c. verba sunt Parei in hunc locum.
Illam Sapientiam quærebant Græci, utpo-
te apud quos illis temporibus studium Phi-
losophiæ florebat. Illa per Spiritum mundi
hoc est rationem naturalem sive Spiritum
naturalis intelligentiæ, qui communiter
hominibus est concessus, poterat reperiri.
Hanc Sapientiam dicit se non tradere,
Græcos eam apud se vel in suis dictis non
reperire, ideoque frustra ibi quæsitos,
negat se Sapientiam mundi docere, sed eam
quæ est in mysterio, quam mundus naturali
ratione indagare non potest. Hinc est, quod
omnia quæ in Scripturis ad Christum re-
ferantur, quemadmodum testatur Augu-
stinus super Ps. 71. ita dicens, *Ad illum.*
(Sc. Christum) *omnia, quæ divinitus Scri-
pta sunt referuntur.* Cum itaque expresse te-
stetur Scriptura, se non docere sapientiam
humanam, sapientiam mundi, sed Chri-
stum crucifixum, omniaque ad ipsum re-
ferri, quis non videt, multum falli eos,
qui contra mentem & protestationem
Scripturæ, ex ea sapientiam humanam,
Philosophiam naturalem volunt educere?

Exc.

Exc. At dicas, eatenus saltem doceri, quatenus ad Christi cognitionem juvant. *Resp.* juvant ad cognitionem existentiae Dei & attributorum divinorum, sed parum admodum ad Christi Mediatoris & Salvatoris notitiam, & sufficit ad illud cognitio crassior & minus accurata, uti saepius jam dictum.

XIII. Quartum argumentum inde petitum, quod Deus ab illis, quos ornaverat sapientia humana & cognitione Philosophica, nihil voluerit ad hanc rem spectans consignari. Patet id 1. exemplo Molis de quo legimus Act. 7, 22. *Et eruditus fuit Moses omni sapientia Aegyptiorum.* Erant hi tum temporis Philosophiz Antistites, unde & in Graeciam est translata. Quare nullum dubium esse potest, quin Moses in signem habuerit rerum naturalium cognitionem. Is tamen cum Creationis opus describit, ubi occasio erat de istis Creaturis & operibus Dei subtiliter differendi, earumque interiores naturas & essentias explicandi, breviter tantum recenset earum praecipuas species, omnia uno capite absolvens, omittens etiam ea, quae sensibus non erant obvia, unde factum, ut Angelorum Creationis disertis verbis non meminerit: nec etiam metallorum, gemmarum & aliorum in Visceribus Terræ reconditorum mentionem ullam fecerit, abunde se suo

scopo satisfecisse statuens, si omnia illa quæ in oculos hominum incurruunt, ostenderit à Deo creata & producta fuisse. Contra vero quam prolixus est in eis, quæ ad Ecclesiam ejusque administrationem spectabant describendis! ibi non unum caput sufficit, sed ferè omnia Capita Exodi posteriora à 25. ad 40. inclusive, exceptis 32, 33, 34. eo collimant, ut tabernaculi constructio & Cultus Levitici administratio plenè quoad omnes partes explicentur. Aliorum Scriptorum sacrorum similis est ratio: Vnde vel cæco patere potest, non quærendam in Scriptura Sacra Physicam vel Philosophiam, quæ præcipue à Mose his Sacris erudito, occasione tam egregia data, per Operum Creationis descriptionem, debuisset explicari, Si Deus librum Scripturæ huic rei voluisset destinatum. Sententiæ meæ accinit Pareus in Gen. cap. 1. v. 1. jam supra visus cap. 4. art. 10. Is ubi inquit, cur Moses Angelorum creationis expresse non meminerit, rejectis causis ab aliis allatis, inquit: *Simplicior est ratio Chrysostomi homilia 2. in Genesim, quam & Basilius attingit Hom. 1. in Hexaëm.* Moses historiam suam ruditati Iudaorum attemperasse. Erant enim homines terreni, tantum sensibilia sapientes. Tantum igitur sensibilium Dei operum descriptionem Moses aperie

apertè prosequi voluit, quorum contemplatione ac sensu ad intellectum sublimiorum rerum, & ad ipsius invisibilis Dei conditoris agnitionem populus quasi infans eveheretur, omissa doctrina de cælestium Spirituum formatione, qua captum ejus longe superatura videbatur, & quam satis ei fuit obscure per nomina Cœli & Calorum exercitus quasi per transennam ostendi. Consentit Calvinus, qui comment. in Gen. c. 1. v. 14. Tenendum est illud, Mosen non acute philosophuri de occultis mysteriis, sed referre, quæ etiam rudibus nota sunt, & posita in Vulgari usu. Et ad v. 16. Moses populariter scripsit, quæ sine DOCTRINA ET LITERIS omnes idiota COMMUNI SENSU percipiunt; Et paulo post. Nec Moses sane ab eo studio (Astronomico puta) retrahere nos voluit, cum omisit, quæ sunt artis propria. Sed quia non minus indoctis & rudibus, quam doctis ordinatus erat magister, non aliter partes suas potuit implere, quam si se demitteret ad crassam istam rationem. Si de rebus vulgo ignotis locutus foret, caussari poterant idiota altiora hac esse captu suo. Denique cum hic Spiritus Dei promiscuam omnibus Scholam aperiat, non mirum est, si ea maximè deligat, quæ possunt ab omnibus intelligi.

XIV. Excipit hic Danæus: Simpliciter
qui-

quidem Moses, Sed vere: nudè, Sed recte: populariter, sed sincere tradit, quæ sunt nobis de Mundo, ejus partibus præcipuis; rerum causis & effectis credenda & tenenda & docenda inter homines. Ingenuè etiam fateor, ad nostri sensus captum Mosen se attemperasse: nego tamen, quod illi ajunt, propterea ad rei veritatem illum nec collimasse nec attendisse: fuit enim illi propositum facile, nudè & verè illa scribere.

X V. *Resp.* Facilis est ad illa responsio. Nam 1. quod dicit, Sincerè tradidisse, quæ sunt nobis de mundo, ejus partibus præcipuis, rerum caussis & effectis credenda &c. admittimus, sed inde colligimus, quia de præcipiis: E. non de omnibus: & quia de rerum caussis externis tantum, nempe de Deo agit: E. non de interiorieorum formatione textura & constitutione, adeoque quærenda in Scriptura rerum omnium Causa Prima, Universalis & Remota, Sed non ideo Causa Secunda, Particularis & Proxima omnium rerum naturalium, proprietatum & effectuum; atque ita manet nostrum argumentum firmum & immotum. 2. an vero rerum Veritas cum sensuum apparentia semper consistat, & an non etiam Moses alicubi hanc potius quam illam attenderit, suo loco visum.

X V I. Patet 2. Minoris Propositionis
præ-

præcedentis argumenti veritas ex Daniele, de quo legimus Dan. 1, 17. quod Deus illi dederit notitiam & intelligentiam in omnibus literis & sapientia & v. 4. quod fuerit institutus literis & lingua Chaldeorum. Noluit tamen is in libro Prophetiæ suæ istius sapientiæ, Chaldaicæ quæ in cognitione Philosophiæ præcipuam partem consistebat, specimina edere, neque de rerum naturalium interiori constitutione & essentia differere, ut ostenderet, hæc ex disciplina humana non divinadebere hauriri.

XVII. Quintum argumentum: Mo-sen itaque & Danielem, ut sapientiæ suæ Philosophicæ specimina ederent, Deum nouissime vidimus. At quid de Salomone dicimus, quem Scriptura à sapientia præ omnibus hominibus i. Reg. commendat; Hic vero ne quidem voluit Deus, ut ea quæ de rebus naturalibus differuerat, procul dubio egregia & rerum naturam accuratius explicantia, quam ab aliis factum fuerat, conservarentur, sed ea intercidere est passus. Ita enim legimus i. Reg. 4, 33. *Elocutus est etiam de plantis, à cedro qua in Libano usque ad Hyssopum, qua prodit è pariete: denique elocutus est de jumentis, & de Volucribus, & de reptilibus, & de piscibus.* Nec tamen vel vestigium eorum invenitur, cum

cum contra Providentia Dei in conservandis iis, quæ ad Salutem nobis sunt necessaria ubivis eluceat. Nonne ergo hoc facto tacite quasi Deus significare voluit, naturæ Lumine nos in harum rerum indagatione contentos esse debere, & frustra agere, si naturas rerum ex Scriptura cognoscere velimus, cum ea quæ de his optime nos potuissent instruxisse, permiserit interire?

XVIII. Argumentum Sextum. Sed ex ipsa re tandem desumamus Specimina quædam eorum, quæ Contrariæ Sententiae Patroni de rerum Physicarum natura in Scriptura se putant reperire. Et Vallesius quidem, ubi Scriptura mentionem aliquam rerum naturalium injicit, occasionem inde sumet de rebus naturalibus differendi, & quidem ex Lumine Naturali, adeò ut scriptura vix aliter utatur ac Catalogo rerum naturalium, uti patebit ei qui eum voluerit conferre. Similem fere viam insistit Danæus, quamvis videatur ulterius procedere, & velle probationem desumere ex Scriptura de rerum naturalium constitutione & causis. Sed ipse modus procedendi, qui ab ipso servatur, satis ostendit eum non rectam viam instituisse, quæ ad Physicæ cognitionem ducat. Nam primo quidem concedit, multarum rerum Scripturam ne quidem meminisse: *Cometarum*, inquit,

*Lampadum, Doliorum, Chasmatum Cali,
Caprarum saltantium & aliorum ejusmo-
di meteororum igneorum, qua nonnunquam
in hac expansione (qua sub Calo Luna est)
apparent, nusquam meminit Scriptura,
quibus & multa alia annexi possent, de va-
riis animalium, plantarum speciebus &c.
quæ inter res naturales sunt referenda, &
suam habent singularem naturam. E. sal-
tem non potest haberi ex scriptura perfecta
rerum naturalium cognitio. Et nisi ille ipse
Danaeus subsidium à ratione & Scriptis Phi-
losophicis petiisset, multo pauciora po-
tuisset dicere de rebus naturalibus, quam
dixit, & multa quæ ex locis Scripturæ ob-
scuris elicere voluit, clicere non tentasset,
nisi antea Philosophiæ cognitione imbutus
fuisset. Quænam etiam ex Scripturis cau-
ſæ dari possunt Iridis & aliorum meteoro-
rum, præter eas de quibus ipsa experientia
testatur! Quam caufam Scriptura assignat
albedinis nivis? Vbi demonstratur Ton-
trus causa proxima? quænam causa recen-
ſetur stellarum ſcintillationis? quid de Lu-
næ & Solis Eclipſi è Scriptura depromi po-
tent, ad cauſarum intelligentiam faciens, ut
taceam alia ſexcenta. 2. de Principio qui-
dem rerum omnium extero, Deo, ſive
omnium rerum cauſa Efficiente Prima &
Univerſali Scripturam agere non difſi-
cillius,*

mur, & eatenus ejus cognitionem prodefisse nosmet ipſi afferimus, sed non potest Dānæus, nec quisquam aliis ex Scriptura ostendere Materiam Primam & Formas substantiales vel Elementa esse rerum omnium Principia, ex quibus componantur & in quæ resolvantur, quæ tamen pro Principiis vulgo habentur, alia etiam veriora Principia rerum interna à Scriptura doceri non videmus. 3. multo minus ex Scriptura potest proferre demonstrationes, quomodo, vel ex vulgaribus Peripatetico-rum Principiis proprietates & effectus rerum naturalium oriantur, vel ex aliis Princi- piis solidioribus. 4. Graſſe admodum Dānæus philosophatur, ubi se ex scripturis philosophari putat. Sic Tract. 1. f. 8. ex Eph. 5. 13. Lucem definit ab effectu; *Lux est quæ omnia manifestat*: at ipse hanc definitionem corrigit postea, vel hoc facto suo testatus eam non fuisse accuratam. Sed nec prior nec posterior definitio multum facit ad Lucis naturam explicandam, de qua Risuerus Opt. lib. 1. th. 13. conqueritur eam esse valde abstrusam, idem ferens judicium de colorum natura ejusdem lib. th. 36. *Videtur coloris natura non plus esse comprehensibilis intellectui, quam lux fuit ipsa, causaque tam obscuræ & difficiles, quam est color ipse in promptu adspectuque*

enam̄ifestus. Nec tamen de Colorum natura quicquam Scriptura docet. Ita Tract. 2. cap. 9. Aērem fere in nihilum redigit, nitens (uti putat) Scriptura, aut saltem non pro corpore distincto ab Aqua & Terra habet. Plura similia annotare poterit, cui ejus Physicam perlegere vacabit. 5. multa quæ ex Scriptura probare conatur, talia sunt, ut à quovis Vulgari tantum notitia præditō cognosci possint per experientiam. Ita quando probare vult nubes elevari ex terra & mari ex Ier. 4. 13. *Ecce tanquam nubes ascendit & i Reg. 18, 44. Fuitque septima vice, ut diceret, ecce nubes parva sicut vola hominis ascendit à mari,* nihil præstat, nisi quod à quovis per experientiam cognosci potest: nam quod nubes ita eleventur ex aqua ad oculum patere potest, uti ex posteriori loco apparet. 6. multa ex Scripturis elicere conatur, quæ revera non sequuntur, ex. gr. quando ex locis obscuris & metaphoricis Iobi vult aliquid educere. Sic ex cap. 36, 32. vult probare ex pugna duarum nubium oriri fulmen, qui valde ambiguus est locus, & planè Metaphoricus. Verba ita habent: *Manibus obtegit lucem, & interdicit ipsi propter intercedentem.* Ex cap. 38. 30. *Vt perfusio sit fermentanda terra, ut conglutinentur gleba,* probare conatur, ex pulvere terræ generari

118 CHRISTOPH. WITTICH.
nerari lapides, cum nihil aliud indigitetur, quam pluvia cadente pulverem terræ in glebas colligi, quemadmodum consideranti patet, & Belgæ etiam interpretantur. Similiter ex Ier. 31, 35. Sic ait Iehova qui disponit Solem ad Lucem interdiu, statuta Luna & Stellarum ad Lucem noctu, & Iesch. 30, 26. Et erit Lux ipsa Luna sicut Lux Solis, Lux autem Solis erit septupla ut Lux septem dierum, vult probare stellas habere lucem insitam, quod quamvis de stellis fixis sit verum, quibus tamen fidiculis id ex locis istis extorqueri possit, videre equidem nequeo. Eodem in loco nempe Tract. 4. cap. 27. ex Ezech. 32, 7. demonstrare conatur, Lunam habere Lucem insitam, propriam. Verba Ezechieli ita habent: *Et operiam, cum extinguam te, calos, atratasque reddam stellas eorum: Solem nube operiam, Luna non faciet, ut luceat lux sua.* Fortè ex eo id sequi putat, quia dicitur *Lux sua*; at etiam Lux in speculo & ab ea reflexa dicitur Lux speculi, & à Terra reflexa dicitur Lux Terræ. Ergo & Lux Lunæ dici potest propter modificationem, quam accipit à Luna, quia ab ea reflectitur in Terram. Ps. 48, 8. *Laudate Dominum ignis & grando, nix & exhalatio, ventus turbineus, efficiens Verbum ejus.* Ex his Verbis vult educere divisionem Vaporum, qua

qua alii sunt calidiores & sicciores , alii frigidiores & humidiores . Sed mens Psalmistæ non est , ibi Species vaporum enumerare , sed tantum quædam ex meteoris denominare , quæ ad Laudem Dei hominem incitare debeant . Plura recensere defatigor , & facile posset ostendi , vix quicquam à Danaeo esse de natura rei alicujus naturalis ex Scriptura demonstratum . Cui otium est , attente perlegat , & assensum mihi præbebit .

XIX. Ex hisce omnibus patet , se ipsos valde fallere , qui nescio quem honorem se Scripturæ deferre putant , dum rerum naturalium explicationem exinde deducere conantur . Et hac quidem parte mecum sentit Verulamius , ut argumentum septimum ab authoritate desumptum ad hominem corollarii loco addam . Is Novo Organo aph . 65. *Huic vanitati* (nempe qua Theologia Philosophiæ admiscetur) *nonnulli ex modernis summa levitate ita indulserunt* , ut in primo capitulo Genesios & in libro Iob & aliis Scripturis sacris Philosophiam naturalem fundare conati sint ; inter viva quarentes mortua . Et de Augmentis Scientiarum lib . 9. *In interpretandi Scripturam modo soluto duo interveniunt excessus . Alter ejusmodi in Scripturis presupponit perfectionem , ut & omnis Philosophia ex earum fon-*

fontibus peti debeat, ac si Philosophia alia quævis res profana esset & ethnica. Hæc intemperies in Schola Paracelsi præcipue, nec non apud alios invaluit. Verum istiusmodi homines non id assequuntur quod volunt: Neque enim honorem, ut putant scripturis deferunt; sed easdem potius deprimunt & polluunt. Calum enim materiatum & Terram, qui in Verbo Dei quasi verit (de quo dictum est, Calum & Terra pertransibunt, Verbum autem meum non pertransibit) is sane transitoria inter aeterna temere perse-
quitur. Quemadmodum enim Theologiam in Philosophia quarere, perinde est, ac si vi-
vos quaras inter mortuos. Ita è contra Phi-
losophiam in Theologia quarere, non aliud
est, quam mortuos quarere inter vivos.
Huic conjungo Neufrillium, dum vive-
ret, Philosophum & Medicum Clarissi-
mum, qui ita in Physiologiæ suæ sive Phy-
sicæ Generalis præfatione loquitur: *Hanc*
ob causam nonnulli, Scriptura Sacra nobis
divinitus revelata autoritate potissimum de
rebus naturalibus certi aliquid definiendum
esse contendunt: inter quos præcipue est
Lambertus Danaus, qui Physicam Chri-
stianam ex sola fere Scriptura Sacra colle-
ctam & deductam (nempe ex opinione sua,
at quam feliciter, à nobis haec tenus ostен-
sum) concinnavit. Idem statuunt Otto Cas-

mannus in Prolegomenis Cosmopœia & Vranographia Christiana pramissis, Conradus Aflacus lib. 1. Physica Mosaica cap. 1. & alii. Et paulo post: Certum tamen est, ejusmodi (scil. de rebus naturalibus) pauca admodum esse, neque eo modo tradita, uti eadem à naturali Philosopho scientiâ certâ atque evidenti comprehendendi debent; & constat Scripturam Sacram nobis longè alio fine à Deo esse traditam, videlicet, ut nos de voluntate divina nostraque salute per Christum obtainenda, erudiat.

C A P V T VIII.

*Objectiones in contrarium adductæ
solvuntur & refutantur.*

I. Nitium facimus ab iis, quæ Lentulus Novæ suæ Sapientiæ p. 189. in hoc negotio profert, ad ea que conjuncta breviter respondebimus, tum quia mixtæ sunt exceptiones ad nostra Argumenta Objectiōnibus, tum quia ex dictis facile responsum applicari iis potest. Ita autem ille: 1. *Præcipuum Theologiae opus esse, Dei cognoscendi & colendi, hominisque ad aeternitatem beatæ vita perducendi, precepta tradere, non negamus.* 2. *Sed & licere Spiritui Sancto uti argumentis à rebus vel natura vel artis petitis, ad hominem persuadendum, ad con-*

vincendum, nisi velimus cum ratione insanire, fatemur. 3. Deinde cali & Terra Machina & utriusque operationes ad Dei notitiam fine suo deducunt: quare qua à se, eadem & ex se instrumenta notitia divine persuadenda generare apta sunt. 4. Quid quod ancilla ministerio uti nemo prohibetur. Quare nec Philosophia Theologia. 5. Vel oblectamenti gratiâ, & lectoris in sacrorum librorum evolutione detinendi permisum est Spiritui S. in res in rerum natura contentas excurrere. 6. Tempore quo Moses & eum mox secuti scripsere, nullos apud Hebraeos Philosophiam professos verisimile est. Voluit ergo Deus populum suum, ne crassâ rerum caligine premeretur, de quibusdam naturâ occultis in Sacris suis admonere, ceteris experientia & senum denunciationi relictis. 7. Nemo Homero poëta & rerum bellicarum scriptori, vitio vertit, geographia & aliarum artium fines invasisse. Et hoc antiquissimo operum, quodque Deum ipsum authorem habet, non licebit, quod poëta fabularum conditori licuit? Et paucis interjectis. Age vero in rerum naturalium judicio ferendo, Deus homines opinioni sua reliquerit, nec calamum sribentium hâc in parte direxerit. Nullius ergo judicii fuisse Salomonem statuendum est, cui Deus disertus Verbis Sapientia omnes homines excedentius testi-

testimonium ulcrò dedit? nec id in populo
tantùm judicando: sed & in natura obscu-
ritate evolvendā. 1 Reg. 4. Quid Davi-
dem? Quid Prophetas? fungos ne fuisse &
rerum humanarum aut naturalium omni
cognitione exutos arbitramur? Prasertim
otio abundantes & ingenii sagacitatem pro-
pter situm locorum & cali temperiem, vel
Gracis & Italis, nedum Germanis & Gallis
longè praezellentes. Suam igitur vel imperi-
tiam vel judicii iniquitatem produnt, qui
eius afflictione ne quidem sacra maculare
erubescunt.

I L. Resp. 1. Circa primum inter nos
convenit. 2. nec negamus secundum: quæ-
ritur tantum an in talibus argumentis à
natura desumptis necesse sit, ut Spiritus San-
ctus innitatur subtilioribus & accuratiori-
bus effatis Philosophicis à veritate rerum
naturalium & interiori earum constitutio-
ne derivatis, an verò sufficiat ea superstruc-
re vulgari cognitioni earum, etsi non raro
ea sit erronea? nos posterius afferimus &
suo loco probavimus. 3. concedimus iti-
dem per res naturales per Cæli & Terræ
Machinam nos deduci ad Dei notitiam, sed
vicissim dicimus ad id sufficere cognitio-
nem vulgarem qualis per sensus à quovis
haberi potest, quamvis non negemus, quo
penitus natura rerum habetur cognita, eò

F 2 plura

plura argumenta suppeditari ad potentiae sapientiae & bonitatis divinae cognitionem

4. Nec quartum nobis repugnat. Utatu Theologia Philosophiam ut ancillam, sed propterea non opus est ut vel Scriptura Philosophiam doceat, vel de rebus naturalibus accuratè loquatur. Sed Theologus, qui ex Scriptura fundamenta fidei suae haufit, ex Philosophia Objectionibus Adversariorum, quas specie rationis obvolvunt, satisfaciat, utatur eam ad Illustrandum & similia.

5. Non queritur quid promissum sit Spiritui Sancto, sed quid ipse sapienter facere velit. Superius vidimus ex Celeberrimiis Theologis, quod nolit rudioribus remotam injicere per ista subtilia Philosophica, quae non intelligant. Ergo nulla effet causa, quare potiorem haberet rationem doctorum ut eos oblectet, quam rudiorum, ne eos turbet. 6. De ipso Mose superius vidimus quod ille fuerit eruditus omni Sapientiam Aegyptiorum art. 13. cap. praecedentis. Sed Vir antiquitatis & historiarum, ut sibi videtur, peritissimus ex Iosepho Antiquit. 1. cap. 3. discere potuisset, Sethi posteros duas columnas erexisse alteram lapideam, alteram lateritiam, quibus artes a se inventas inscriperant; Item ex cap. 9. Abrahamum docuisse Aegyptios Astronomiam & Arithmeticam, & sic has artes primo

mò à Chaldæis ad Ægyptios , ab his verò tandem ad Græcos traductas. Simile quid Iosephum Ægyptiis præstitisse verisimile est , eumque esse , quem Diodorus Siculus Hermen vocat , id est interpretem , quem tradit disciplinas apud Ægyptios artesque reperisse. Quod si vel solum Polydorum Virgilium inspexisset , ex eo lib. 1. cap. 16. discere potuisset , Philosophos Græcos Philosophiam à Iudæis accepisse , idque ab Eusebio in II. de præparatione Euangelicâ plenissimè demonstrari. Ex his igitur inter se invicem collatis , quia Philosophia inter sanctos Patriarchas viguerit , à quibus Israëlitæ sunt orti , ita ut ab iis demum Ægyptii & per eos aliæ gentes acceperint , quia Græci Philosophi à Iudæis acceperint , ipsoque Moses in ea fuerit insignis , colligere debuisset longè verisimilius esse , fuisse , tempore Mosis , eorumque qui eum secuti sunt , apud Hebræos Philosophiam professos , quam nullos tales fuisse. Et cum Deus æquè Librum Naturæ & Lumen Naturæ hominibus istorum Temporum ac nobis concessisset , præterea etiam insignes doctores inter eos excitasset , non opus fuisse , ut arcana Philosophica in Sacris Literis traderet , quæ ad alium scopum dirigebantur , sed sufficere ipsiis debuisse , quod media prædicta largitus fuisse.

7. Ad septimum

ptimum anno : neminem hoc Deo vitio
vertere , si voluisset Philosophiam in Sacris
Literis tradere , sed tum procul dubio fuisse
eam demonstraturum longè evidenter per
causas rerum naturalium interiores , quam
ab ullo homine fuit factum . Sed antea o-
stendimus populum rudem facile ab aliis
credendis potuisse averti , si talia , quorum
contraria ipse , supponens præjudicia sen-
suum pro Lumine naturæ , se à naturali ra-
tione edoctum putasset , sine ulla adjecta
ratione & demonstratione credenda propo-
suisset . Dein Salomoni sapientiam non ne-
gamus , sed ab eo descriptam sapientiam
non exstare amplius , ostendimus . Nec et-
iam Davidem & Prophetas destitutos re-
rum naturalium cognitione fuisse asseri-
mus , sed illam Sapientiam suam totam
(quoniam enim quædam sint sparsim inserta noi-
negamus) in Sacras Literas retulisse nega-
mus , imò saepius de iis populariter & cum
vulgo fuisse locutos prolixè satis ostendi-
mus . Ex quibus Lectori judicio patebit
utri imperitiam suamve judicii iniquita-
tem prodant , num illi , qui ipsa re edocet
Scripturam aliquando secundum opinionem
vulgiloqui contendunt , neque Physi-
cam ex Scriptura petendam concedunt
num Lentulus ; qui sine ullâ ratione eos ar-
guit macularum sacris Literis affrictarum

III. Sequuntur nunc aliæ Objectiones magis distinctæ & ab invicem separatæ. Prima est Danxi, qui Physicæ Christianæ cap. 3. contrà hanc sententiam insurgit, quorum summa huc redit: *Qui est artifex mundi, omniumque in eo creaturarum, ille optimè omnium potest de eo loqui. Quis enim melius de opere suo loqui potest, quam ipse ejus artifex? Quis melius omnium rerum causas, momenta, effecta existendi modos & tempora qua fuerint, scit & novit; quam qui ipse eorum omnium est author & perpetuus Administrator?* At Deus est artifex mundi, &c. Ergo ille potius audiendus, quam Philosophi etiam præstantissimo ingenio prædicti, cum illi sapè inter se pugnantia & veritati contraria doceant & docuerint.

IV. *Resp.* 1. Absit ut Omnipotentiam Dei in dubium vocemus, è contrario certissimè persuasi, Deum non tantum harum rerum, quas ipse creavit, rationes habere perspectas, sed etiam omnium possibilium, quæ reverâsunt infinita. Sed non quæritur quid Deus cognoscat, sed tantum quid nobis voluerit in suo verbo revelare: non autem voluisse eum rerum naturalium interiorum naturam ibi explanare, jam ut reor, satis superque demonstratum dedimus. 2. Non præferimus Philosophos, aut eorum philosophemata sacris oraculis, sed

dicimus, eum qui scientiam Physicam acquirere allaborat, eam frustra ex Verbo Dei petere, non ad hanc rem inspirato, neque accuratè & scientificè de rerum natura loquente, sed eam quærere debere per lumen Naturæ, quod Deus in hunc finem menti accedit: neque statuimus debere hominem quorumvis Philosophorum sequi auctoritatem, cum scientiam intendamus acquirere non fidem humanam, sed volumus sapientiæ studiosum attendere ad *γνῶσην εὐ-
ρεῖας*, ad notitias menti insitas, easque cum rebus ipsis conferre, atque ita vel proprio Marte aliquid inde educere, vel alios eduentes & demonstrantes audire, quibus tamen assensum non debeat præbtere, nisi id quod dixerint, clarè demonstraverint.

V. Secunda Objectio à Danæo in eodem capite profertur & in summam collecta huc redit: Hebr. 11, 3. legimus: *Per fidem intelligimus compactum fuisse mundum verbo Dei. Ergo fide intelligimus mundum atque creaturas, qua sunt in mundo. Quod si fide: Ergò per Sacram Scripturam: nec enim fides sine illâ esse potest.*

VI. Resp. Plus concluditur, quam fuit in præmissis. Concedimus libenter, nos fide intelligere compactum fuisse mundum, id est, ex nihilo solo Dei nutu omnia fuisse creata. At an inde inferre licet? Ergo etiam fide

fide intelligimus omnium rerum interiores naturas, causasque proximas quarumvis proprietatum & effectuum. Rerum itaque existentiam ex Creatione cognoscimus, & res omnes ad Deum tanquam authorem suum referimus, sed essentiam & naturae interiorem constitutionem aliunde debemus addiscere.

VII. Pergit idem Danæus tertio loco objicere: *Moses ille, qui Dei iussu & precepto mundi hujus & originis rerum omnium præclaram illam & verè admirabilem historiam conscripsit, aut vanus erit, aut mendax, si Physica cognitio Scripturæ Sacra non continetur.* Quid enim aliud agit, quam ut ortum rerum, earumque vires, naturas & effecta, id est, Physicen brevissimè quidem, sed tamen verissimè & ordine applicet?

VIII. Resp. 1. Quodnam Mosis fuerit institutum superius vidimus 2. concedimus ex Mose historiam Creationis esse pertendam, ab eoque discendum, quænam sit omnium Rerum Prima Causa & Universalis, & eâtenus Scripturam ad Physicæ cognitionem prodeesse largimur, sed cum præter hæc multa alia, causæ nimirum particulares proprietatum omnium & effectuum, cognoscenda sint ei, qui Physici nomen vult ferre, quorum explicatio in Scriptura

non habetur, uti ostensum, illa certè aliunde, id est ex lumine naturali sunt petenda.
 3. Si Physicam in concreto sumas pro compendio aliquo Physico, qualia multa habentur, in quo non contineatur, nisi quidam rerum naturalium Catalogus, cum paucis quibusdam descriptionibus potius quam definitionibus, quibus quædam etiam divisiones sint conjunctæ, possumus concedere, quod Moses Physicen explicet Ordine. Sed si Physica sumatur in abstracto, pro certa & indubia scientia proprietatum & effectuum per causas proximas & immediatas, uti à nobis sumitur & in hac quæstione sumi debet, negamus eam apud Mo-
 sen reperiri.

I X. Quarto loco profert dictum Proverb. 8. cap. 22. & seq. ubi omnia per Sapientiam Dei & condita esse, & postea per eandem, ut sunt condita, dicuntur conservari.

X. Resp. Filium Dei substantialem five Essentialiem Dei Sapientiam æquè nosse ac Patrem rerum omnium naturas, easque intimè habere perspectas, nulli dubitamus. At eum in Scripturam hanc Sapientiam retulisse, in eaque res naturales accuratissimè explicasse magnum est postulatum, quod nondum vidimus probatum.

XI. Quintò opponit loca Apocrypha Ecclæsia-

clesiaſtici 42, 17. & libri Sapientiæ 7, 22. Sed in loco Ecclesiastici non dicitur, quod Deus Sanctos ex Scriptura erudiverit, de rebus naturalibus, sed tantum quod fecerit eos enarrare mirabilia sua, quod utique nobis non obest. In libro Sapientiæ verò doceatur tantum, quod Sapientiæ insit Spíritus intelligens, sanctus, &c. at quid hoc confirmet sententiam oppositam, non apparet.

XII. Tandem sexto loco objicit authoritates Irenæi, Basili, Ambrosii, Chrysostomi & Tertulliani. Sed *Resp.* breviter 1. nos quidem ante hac usi fuimus authoritate, sed non aliter, ac argumento ad hominem, quod sciamus illos cum quibus nobis est negotium autoritate duci; sed quia ipsimet parum tribuimus autoritati humanae, cui videmus refragari lumen naturæ quod sequimur, argumentum tale apud nos non est magni ponderis. 2. Patres in citatis locis à Danæo docent necessarium esse, ut ex Scriptura Creationis cognitionem hauriamus, item ut ex illa cognoscamus Causam Mundi efficientem supremam, ejusque Finem ultimum; ostendunt itidem mundum non ex ulla præexistente materia esse creatum, sed non docent rerum naturalium cognitionem quoad Causas internas, proximas, interioremque constitutio-

132 CHRISTOPH. WITTICH.
nem & similia adeoque Physicam scientiam
ex Scriptura hauriri posse.

XIII. Aliæ nunc sequuntur Objectio-
nes. Sit ergo septima: Si Physica non est
ex Scriptura petenda E. nullus usus erit
Physicæ in Theologia. Atqui est usus qui-
dam uti ferè omnes concedunt. E.

XIV. *Reff.* 1. Majoris Connexio est
nulla. Similiter enim possem inferre: Si
Physica non est petenda ex Ethica: E. Phy-
sicæ nullus est in Ethica usus, cum tamen
cognitio subjecti Ethicæ, hominis ab ea in-
formandi aliquatenus prærequiratur, ut &
affectuum, uti sunt passiones quædam natu-
rales. Etsi itaque Theologia Physicam non
doceat, ejus tamen cognitionem præsup-
ponit in aliquibus, saltem in generalibus:
ex. gr. ut cognoscamus differentiam natu-
ræ corporeæ & spiritualis à qua distinctio-
ne Christus argumentatus est, quando se
discipulis conspiciendum obtulit. At potest
Theologiæ cognitio consistere cum igno-
rantia circa particularia & deceptione sen-
sus circa illa: ex. gr. Terræ motum igno-
rare quis potest, & tamen bonus esse Theo-
logus. 2. non quidem est cognitio Physi-
cæ Necessaria ad π esse; sed utilis ad π
benè esse: ita quis nomen Theologi obti-
nere potest, sed non Disputatoris subtilis
& accuratissimi in Theologicis, si omni
Physicæ

Physicæ cognitione sit destitutus, quia hæc sœpe requiritur ad quæstiones quædam defendendas contra adversarios Physicā abutentes 3. à Scriptura ad Theologiam non licet argumentari: illa enim quid strictius est, hæc aliquid latius: nam in Theologia etiam reperias argumenta, saltem secundaria, præter Scripturam ex ratione de prompta: in Theologia invenies refutationes Objectionum ex Physica desumptarum, quo in casu Physicæ cognitio multum potest prodeesse.

XV. Objectionem Octavam ex Valle-
fio proferimus. Si nullâ aliâ ratione certi
aliquid haberi potest de rebus Physicis: E.
id ex Scriptura petendum: Sed verum est
prius, cum tot dissentientes Philosopho-
rum reperiantur sententiæ. *Resp.* Minorem
non concedent Philosophi, qui ex Aristotele & Scholasticis, nescio quos, Thesauros
colligi posse putant, sed nos erimus libera-
liores. Concedimus, si vulgari procedendi
modo utamur, non innitentes certioribus
Principiis, quam Materiæ primæ, formis
Substantialibus, Qualitatibus, Realibus,
Authoritati Aristotelis, Thomæ, Scoti &
aliorum, vix quicquam certi reperiri posse;
quod ipsa experientia docuit eos, qui non
præjudiciis mentem habuerunt occupa-
tam: at non itidem negandum certi ali-

quid haberi posse, si viâ rectâ incedens & Principiis firmis innixus ad rerum naturâlium cognitionem tendas, si studeas, ut habeas conceptus distinctos, confusos ejicias & reformes, si communibus notionibus rectè attendendo iis consequaria superædifices, nihilque judices nisi de quo clara perceptio præcesserit. Ita certi non aliquid, sed multum inventum esse accuratae demonstrationes Cartesii loquuntur, & plura inveniri posse, simili si via procedas, non desperandum.

FINIS DISSERTATIONIS
PRIMA.



DIS-

DISSERTATIONIS POSTERIORIS

C A P V T I.

De Mundi sive Universi extremis.

I. **M**undi nomine intelligimus
nō Nāv, U niversum, sive U ni-
versitatem omnium Crea-
turarum à Deo producta-
rum, quæ Cæli & Terræ
nomine in Scriptura designatur. De illa U-
niversalitate Corporum, quæ non modo quo-
usque oculorum aciem vibrare possumus,
sed etiam ulterius se extendit, quæritur:
Num ei aliquis terminus possit assignari, &
si possit, quinam sit, & quā figurā is sit con-
strictus?

II. Ad hanc quæstionem respondemus.

1. Non constare, quod nam sit omnium cor-
porum extrellum, & quo usque se extendat
U niversum; adeoque 2. nec ullam certam
figuram ei posse assignari. Prius exinde pa-
tet, quia quamvis ex Scriptura noverimus,
Cælum Beatorum esse supra visibiles cælos
elevatum, non tamen novimus, an undi-
quaque Cælum sidereum ambiat, & si fa-
ciat, an mundum terminet, quæ neque ex
Scriptura, neque ex ratione colligi pos-
sunt.

III. Al-

III. Alterum inde fit clarum , quod , cum figura sit certa determinatio quantitatis , non possit illa tribui nisi iis corporibus , quæ ab aliis separata finitam & terminatam quantitatem obtinent . Quæ etiam est Sententia Clavii ad Euclid . def . 14 . lib . 1 . *Superficies* , inquit , *infinita vel etiam corpus* , *cum nullis terminis comprehendatur* , *Figura vocari nulla ratione potest* . De Mundi autem finibus nobis nihil constat , talis enim hic est natura nostræ mentis , ut ubi cunque illos fines supponamus , semper ulterius extensi quid concipiamus , atque ita fines , quos mundo dedimus , eo ~~in~~ iterum auferamus , ut quilibet apud se ipsum poterit experiri . Hinc enim enatus est iste spatiorum imaginariorum conceptus , qui a pud plerosque invaluit , ut Localitatem soleant explicare per spatium imaginarium , in infinitum protensum in Longum Latum & Profundum , ex quo tamen potius Mundi indefinitam extensionem elicere deberent . Atque hoc argumentum præcipue isto nititur fundamento , quod , cum omnis clara perceptio sit à Deo , si nihil ultra id quod percepimus judicemus , non possimus falli : cum ergo hinc inveniamus apud nos extensionis ideam tantam , ut nullos ejus terminos quicquam concipere (in qua extensione corporis naturam consistere , ut eâ positâ corpus

corpus sit ponendum, sublatâ tollendum, à Cartesio abundè est demonstratum) consentaneum erit rationi, ut nulos terminos non cognitos mundo adscribamus, sed eum potius ut indefinitum nobis repræfente-
mus.

I V. Quod si quis exciperet hunc conceptum oriri ex præjudicio & errore vulgi; concipientis mundum collocatum tanquam urbem in aliqua planicie: Huic *Resp. 1.* Conceptus vulgi oriri solent ex præjudiciis sensuum & infantiae; (ita vulgus Cælo tribuit extremitates ibi, ubi se terminat visus: sic putat se in medio Mundi sive Terræ habitare, quia undique circumspiciens se in medio Horizontis reperit) at hujus sententiæ origo præjudiciis sensuum & infantiae adscribi nequit, cum in infantia de mundi magnitudine aut finibus non soleamus cogitare, neque etiam sensus huic sententiæ occasionem præbere potuerint: Quinimò 2. vulgus ex sensuum ductu contrarium potius statuit, & fines mundo solet assignare ibi, ubi est cælum stellatum, quia ultra stellas nulla corpora sensu deprehendere potest. Inst. At etiamsi hic conceptus non sit ortus ex præjudicio infantiae vel sensuum, potest esse conceptus Nihili, quod in conceptu nostro solet Ens reale imitari. Quemadmodum solet Ni-
hilum

hilum concipi, tanquam vasta solitudo longè lateque extensa. *Resp.* Nihili conceptus convenientis fit & fieri debet per negationem Entis, ut *Ne hilum* concipiamus; at ob summam Nihili Imperfectionem fit, ut mens ei non diu inhærere possit, (nullā enim perfectione mentem afficit, cum ipsum nullam habeat,) sed mox ad conceptum Entis transfiliat, eique Nihili conceptum conformare velit: hunc autem conceptum, quo semper ultra quoscunque fines mundi positos aliquid concipiimus, non esse Nihili, vel exinde manifestum fit, quod, quando volumus ultra mundi fines à nobis politos Nihil concipere convenienti & legitimo conceptu, fieri non possit, quin semper extensionem adjungamus mundo ultra fines quos assignavimus, cum ipsum Nihilum sine extensione facile concipi possit.

2. Non potest autem dici hunc conceptum à nobis esse fictum, similemque Conceptui equi alati: nam quæ sic à mente sunt facta, etiam ab ea possunt dividi, quemadmodum quam facile possum cogitare equum alatum, tam facile etiam equum non alatum concipere licet, quod hic fieri nequit. Mundum enim sine indefinita extensione, id est, cum terminis & finibus concipere non possum, sed semper ultra illos fines aliqua extensio, porrò concipienda occurrit.

V. Except. 2. At si Deus annihilaret omnia, totum nempe mundum, omnia mundi corpora, exceptâ unicâ terrâ; vel etiam, si Deus solam terram creasset, illa revera esset finita, prout jam est, rotunda quippe; interim tamen nos semper aliquid ultra fuissimus concepturi, quemadmodum nunc facimus, ut ultra quoscunque fines Mundo à nobis assignatos aliquid extensi imaginaremur. Vnde non sequitur, quia nostra mens aliquid extensi ultra quoscunq; mundi fines concipit, etiam tale aliquid ultra esse, sed potius hunc mentis nostræ conceptum præjudicio alicui esse adscribendum.

VI. *Resp.* Quid positâ Terræ solius creatione tantæ magnitudinis & figuræ quantæ nunc est, aut annihilatione omnium mundi corporum, exceptâ Terrâ, concessâ, futurum fuisset in nostra mente, nos equidem ignoramus. Sufficit ad nostræ sententiæ probationem, quod nunc apud nos talen habeamus extensionis ideam, ut ejus nullos fines invenire queamus. Quod si ergo Deo vel omnia corpora in mundo præter Terram annihilare liberet, vel solam Terram creare placuissest, tantâ magnitudine & figurâ præditam quantâ jam est, etiam procul dubio Terræ finitam ideam nobis inditurus fuisset, ne falleremur. Saltem nunc id nos concipere non posse certum est.

VII. Ar-

VII. Atque hæ quidem exceptiones à nobis ipsis formatæ aliquando remoratu injicerunt : nunc videamus quam vehe- menti Stylo Revius contra hanc Veritatem à Cartesio primò erutam insurgat. Primo Stateræ suæ p. 75. & seq. Cartesii senten- tiam proponit ex art. 21. Princip. part. II. & art. 1. & 2. & 29. Princip. III. quos ar- ticulos non pigebit adscribere, ut attentus lector habeat ante oculos. Art. 21. Princip. II. inquit : *Cognoscimus præterea hunc mundum, sive substantia corporeæ univer- sitatem, nullos extensionis sua fines habere. Vbicunque enim fines illos esse fingamus, semper ultra ipsos aliqua spatio indefinite extensa, non modo imaginamur, sed etiam verè imaginabilia, hoc est, realia esse perci- pimus. Ac proinde etiam substantiam cor- poream indefinite extensam, in iis contineri. Quia, ut jam fusè ostensum est, idea ejus extensionis, quam in spacio qualicunque concipimus, eadem planè est cum idea sub- stantia corporeæ.* Art. 1. & 2. Princip. III. partis. Inventis jam quibusdam Principiis rerum materialium, quæ non à prejudiciis sensuum, sed à lumine rationis ita petita sunt, ut de iporum Veritate dubitare ne- queamus, examinandum est, an ex iis solis omnia naturæ phænomena possimus expli- care ; Incipiendumque ab iis qua maximè

sen-
tia-

universalia sunt, & à quibus reliqua dependent; nempe à generalis totius hujus mundi adspectabilis constructione. De qua ut rectè philosophemur, duo sunt in primis observanda: unum, ut attendentes ad infinitam Dei potentiam & bonitatem, ne vereamur nimis ampla & pulcra, & absoluta ejus opera imaginari; sed è contra caveamus, ne, si quos forte limites nobis non certò cognitos in iis supponamus, non satis magnificè de Creatoris potentia sentire videamur. Alterum, ut etiam caveamus, ne nimis superbè de nobis ipsis sentiamus. Quod fieret non modo, si quos limites nobis nullà cognitos ratione, nec divina revelatione, mundo vellemus affingere, tanquam si vis nostra cogitationis ultra id quod à Deo revera factum est, ferri posset; sed etiam maximè res omnes propter nos scelos, ab illo creatas esse fingeremus; vel tantùm, si fines quos sibi proposuit in creando universo, ingenii nostri vi comprehendi posse putaremus. Att. 29.

III. partis in fine. Ac deinde juxta usum vulgi, non est cur Fixas consideret ut immotas potius quam Terram, nisi quod putet ultra ipsas non esse ulla alia corpora, à quibus separentur, & quorum respectu dici possint moveri, terra autem quiescere, illo sensu quo dicit Terram moveri respectu Fixarum. Atqui hoc putare à ratione est alienum;

cum enim mens nostra sit talis natura, ut nullos in mundo limites agnoscat, quisquis ad immensitatem Dei & sensuum nostrorum infirmitatem attendet, & quius esse judicabit suspicari, ultra illas omnes stellas fixas quas videmus, forte esse alia corpora, ad qua comparata Terra quiescere, ipsa autem omnes simul moveri dici possint, quam suspicari nulla posse talia esse.

VIII. Ad hæc Cartesii verba reponit 1. dicta Svarezii de Spatiis imaginariis & præsentia Dei extra mundum in illis spatiis, sed quia spatia imaginaria solidè refutata sunt à Clariſſ. Dn. Maresio in Theologo Paradoxo refutato, neque Revius novi aliquid hīc adfert, nos lectorem benevolum eò remittimus, qui deprehendet sententiam hanc Svarezii & omnium ejus affectuarum omni ratione esse destitutam.

IX. 2. Redarguere conatur Cartesium ex Sacra Scriptura, ita dicens: *Manifesto in S. Scriptura terminus universi statuitur Calum Beatorum quod ωραίω μάρτιον τὸ οὐρανὸν esse sciscit Paulus Eph. 4.10. ac proinde sub se concludit omnes STELLAS FIXAS, que proinde in infinitum multiplicari non possunt, nisi Calum Ubiquitrium nobis comminiscatur, quod non includat sed pervadat omnia.* Resp. 1. Audio Scripturam dicentem: Christum ascendisse

se *τὸν πάντας τὸν οὐρανόν*, sed ab ea di-
stum, Cælum Empyreum esse terminum
univerſi, ipsiusque terminum à nobis posse
cognosci non audio. Itaque in citato loco,
quemadmodum versu præcedenti illud *εἰ-
πει κατώπιον μέρη τῷ γῆς* non accipiendum
est ita, ac si comparetur Terræ medium
cum partibus exterioribus, quasi Christus
Centrum Terræ ingressus fuerit, nisi hic
descensum Christi ad inferos Revius cum
Pontificiis velit statuminari, sed Terra
comparativè ad Cælum est consideranda,
uti rectè monet Calvinus in hunc locum:
*Comparatur non una terra pars cum altera,
sed tota Terra cum Cælo, ac si diceret: Ex
sede tam excelsa in hoc nostrum profundum
barathrum descendisse: ita etiam illud τὸν
πάντας τὸν οὐρανόν comparatè ad Ter-
ram est accipiendum, ac si diceret: Ex hoc
profundo nostro barathro Christum ad se-
dem tam excelsam adscendisse. Si enim ab-
solutè hæc verba velles urgere, dicendum
esset, etiam supra Cælum Empyreum Chri-
stum adscendisse. Quod si locus bene per-
pendatur, patebit nihil aliud inde ad sum-
mum concludi posse, quam Cælum Beato-
rum esse supra hoc Cælum visibile stellis
repletum.* 2. Cum nesciamus quousque
Cælum illud sese extendat, *καὶ* non sit alti-
tudinis indefinitæ, neque perspectum ha-
beamus,

beamus, an ultra cælum illud non alia iterum sint corpora nobis incognita, neque an undique Cælum Sidereum ambiat, & Revius nullum ex his demonstrare possit, imbecillitas istius argumentationis Revianæ per se patet. 3. Nec tamen hoc Cælum erit ubiquitisticum, nec dicendum erit omnia pervadere, cum bene colligatur esse super omnes hos Cælos visibiles astris confertos; posset ergo includere omnia Corpora, licet à nullo includeretur, & eò usque protenderetur, ut ejus fines affequi non possimus. Manifestum ergo est, hunc locum nequicquam contra Cartesium esse productum.

X. 3. Carpit Revius Cartesii argumentationem his verbis: *Optarem & eum paulò concinnius argumentari, quam facit, quā enim angelus Sia ex immensitate Dei immensitatem Creatura deducit? hæc ratione Deum quendam alterum ex mundo facere adigitur.* Resp. 1. Optarem Revium aliquantò accuratius ad argumentationem Cartesii attendisse, quam fecit! utinam enim Cartesius immensitatem Creaturæ ex immensitate Dei educit? ubi verò mundum simpliciter infinitum dicit? sed quia id postea Revius ex Cartesii verbis elicere conatur, nos ibi ductum ejus secuti examinabimus. 2. posito mundum esse simplici-

ter extensione suâ infinitum , quod tamen nullibi dicit Cartesius , an inde sequeretur esse Deum ? minimè verò . Infinitas enim quæ Deo tribuitur , planè est alterius generis , quam infinitas mundi : Illa est perfectionis , quâ significatur Deum habere omnimodam perfectionem , majoremque quam ulla creatura cogitatione sua comprehendere possit , hæc extensionis , quæ nullo modo in Deum cadit , imò priorem evertit . Quod enim est extensum , et si esset in infinitum extensum , nihilominus habet partes extra partes , est divisibile &c. quod quam alienum sit à Dei infinita perfectione , quilibet videt . Itaque tantum abest , ut per infinitam extensionem tribuatur mundo infinita perfectio , ut è contrario infinita extensio eo ipso , quia est extensio multiplice in imperfectionem ponat .

X I. 4. Quærit : *Et quid sibi vult , quod mentem nostram talis esse natura velut è tripode pronunciat , ut nullos in mundo limites cognoscat ? ita enim adversus hoc attentus lector rationabitur : mirum esse de quo mentis statu Cartesius loquatur : Nam in statu integratatis ea mundum , qualis revera est intellectus , id est , Finitum ; in statu corruptionis multi Philosophi & inter eos Aristoteles agnoverunt infinitum actu non posse dari : in statu renovationis novimus*

G mundi

mundi limitem esse Calum Beatorum, in statu gloria idem etiam propriâ experientiâ sentiemus. Ita quod de mentis natura tam confidenter afferit, in merum ludibrium abit. Resp. i. Quid sibi hoc velit, quod mentem nostram talis naturæ esse certâ ratione adductus pronunciet, ut nullos in mundo limites agnoscat, nos art. 3. & seqq. ostendimus. ii. Si homo in statu integritatis mundum intellexit, qualis reverâ est: Ergo ne finitum? At quisnam probavit, & unde cognoscitur eum talem esse? aut quare id Revius sine ratione tanquam è tripode afferit? Imò si natura mentis humanæ talis sit, ut nullos in mundo limites agnoscere possit, quemadmodum à nobis est probatum, cum natura per lapsum non sit mutata, neque enim per lapsum homo defuit esse homo. E. in statu integritatis procul dubio etiam talis fuit. iii. An infinitum actu dari possit nec-ne, Cartesius non definit, neque argumenta à Philosophis contrâ infinitum actu allata, evincunt tale dari non posse. Nam ad id, quod quidam dicunt: *Potentia pertinet ad materiam, qua cum ex se sit indefinita, origo est infiniti: actus vero ex formâ pendet, qua forma ut est actus, ita est terminus, & aliquid sui conditione definitum, facilis est responsio.* Est enim hic manifestum Sophisma,

phisma, neque probatur, quod probari debat. Quomodounque Materia & Forma differant, sive tantum conceptibus, ut generale & speciale, sive realiter ut diversa Entia, sive modaliter, de quo hoc loco nolumus disputare, nihil aliud hoc argumento infertur, quam per formam rem in sua specie constitui, & ab aliis Entibus distinguiri, atque sic finiri & determinari. Sed non procedit argumentum à definitione Metaphysica & transcendentali ad finitionem Physicam, nisi simili modo velis inferre, Personas S.S. Trinitatis esse finitas, quia natura & persona differunt, ut terminatum & terminans Vocabulis his Metaphysicè acceptis, uti docent Theologi. 2. quid si ipsa forma sit infinita, vel infinitas? an non per eam poterit terminari Materia, ut tamen non inde exsurgat actu finitum? sic per infinitatem sive perfectionem summam determinatur Ens, ut oriatur Ens Infinitum Deus, qui sine omni controversia est actu infinitus. At inquis: *Omne productum & in esse constitutum, ut tale est, etiam dicitur præditum fine & termino sua constitutionis, & propterea contradictionem includeret, si diceremus esse constitutum in esse & esse infinitum; ita enim infinitum pertransiretur, nec esset in eo semper aliquid ultra accipere, deventum enim esset ad postremum,*

mum, & infinitum non esset infinitum.
Resp. 1. Quod productum est, finitum qui-
dem est perfectione, eo ipso quia est pro-
ductum, cum certâ & finitâ mensura ha-
beat eam sibi communicatam: sed nega-
mus omne corpus productum necessariò
habere finitam extensionem. 2. omne pro-
ductum habet terminum suæ constitutio-
nis, quatenus non amplius est in fieri &
producere, sed productum est, adeoque fini-
tum est transcendentaliter & Metaphysicè,
quatenus ad illud actio est terminata, sed
non ideo physicè est finitum actu. 3. nulla
ergo est contradic̄tio: si dicamus, produc-
tum eo ipso, quia constitutum est in esse,
esse hactenus finitum Metaphysicè, quate-
nus à non esse ad fieri & à fieri ad produc-
tum esse processit, sed nihil impedit, quia
productum corpus possit esse infinitum:
neque ita infinitum pertransiretur, dum-
modò distinctio inter infinitum Metaphy-
sicè sive transcendentaliter & infinitum
Physicè observetur; quamvis etiam à Deo
qui produxit comprehendetur, ut pote
in infinito nihilominus infinitum maneret,
quia nobis semper in eo restaret aliquid ul-
terius accipiendum. Solet 2. dici: Conditio
corporis actu existentis est, ut sit terminus
productum, quia conditio corporis est termi-
nari superficie. Resp. Conditio corporis fi-

niti & terminati omnino est , terminari superficie, sed non corporis, quatenus tale est, ad cuius naturam nihil requiritur praeter meram extensionem , reliqua enim omnia ab eo tolli possunt , corpore manente ; tolle enim motum è mundo nulla erunt corpora terminata nec finita certâ superficie, sed erunt omnia corpora unum corpus continuum , nec tamen propterea naturam suam amittent. Hæc sunt præcipua , quæ possunt adferri contra infinitum actu , quæ vidimus nonnisi sophismata esse , & glaucomata oculis lectorum obducta. Quod si Revius habeat demonstrationes , quibus ostendatur infinitu a actu contradicitionem implicare , eas in medium producat, nos si validæ fuerint à nobis comprehensæ, libenter recipiemus : nam an mundus infinitus sit nec ne ignorare nos fatemur ; itaque eum pro indefinito habemus. 4. Quam firmiter Revius ex Scriptura probarit Cælum Beatorum esse mundi limitem , adeoque in statu Renovationis hoc nos credere debere , supra vidimus : unde tamen non sequeretur , mundum esse finitum , quia hoc Corpus , quod vocamus Cælum Beatorum , posset in infinitum sursum versus extendi. 5. Quid in statu gloriæ circa mundi fines nobis sit discendum , definiri nequit , nec propterea quia sumus futuri in Cælis , erimus

150 CHRISTOPH. WITTICH.
mus extra mundum, vel in ejus finibus, nisi
mundi Vocabulum nimis strictè acciperet
velis, pro compage Corporum à Terra us-
que ad stellas collocatorum.

XII. 5. Pergit Revius & suspicatur
Cartesium hæc incommoda quibus à se
hæc sententia urgetur scilicet ! vidisse
Vidit hæc, ut arbitror, Cartesius, ideo ne in-
finitus hic suus mundus cum innumeris
mundis Metrodori, Anaximandri, Anaxi-
menis, Archelai, Aristarchi, Xenophonis,
Diogenis, Leucippi, Epicuri & Anaxarchi
(cum quibus magnam affinitatem habet)
erroribus in fide accenseretur, ea commen-
tus est, per qua vel respicacissimis oculo
configere se posse speravi. Nam vero, quen-
tum citavimus, pro substantiæ corpo-
ræ universitate supponit stellas fixas qua-
videmus, pro percipere nobis obtrudit su-
spicari, pro esse dicit posse esse, imò rō veri-
mutat in fortè, quod profectò hominis es-
posticum sibi querentis, quo elaboratur, j
quando hanc suam sententiam contigerit
examinari. Resp. 1. Tantum abest, ut Car-
tesii sententia affinitatem habeat cum sen-
tentia eorum, qui infinitos mundos assere-
bant, ut potius *δις παντες*, ab ea distet
quæ enim convenientia eorum, qui infini-
tos mundos non tantum esse posse, sed et
iam jam esse afferunt, cum iis, qui unicun-

mundum existere ita agnoscunt, ut ne quidem plures esse posse statuant, quæ sententia est Cartesii eorumque qui eum hinc sequuntur. 2. quis error in fide, si statuas mundum esse indefinitæ magnitudinis, ejusque finem à nobis non comprehendendi posse, esse possit, equidem non video: monstrat illum, si potest, Revius, 3. Cartesius loco tertio hoc est, art. 29. 111. partis non supponit pro *substantia corporea universitate stellas fixas*, sed eodem modo ac in priori ait, *mentem talis esse natura, ut nullos in mundo limites agnoscat*, quemadmodum art. 21. Part. 11. dixerat, sed affectit *fortè esse ultra stellas fixas alia corpora respectu quorum dici possint Moveri*, quod quia non est certum, per *fortè* exprimitur, sed non dicit *fortè esse alia corpora*, quod quidem ex indefinita extensione necessariò sequitur: esse autem posse corpora ultra stellas fixas, et si respectu eorum moveri dici non possint, satis puto manifestum: eò pertinet etiam *suspicari Cartesii & posse esse*. Videat attentus lector verba art. 29. 111. partis, & nihil à me fingi conspiciet. Ergo non Cartesius sperat se perspicacissimis oculos esse configere, sed vel Revii oculi cæcutiebant, dum hæc scribebat, vel cæcutientes sibi lectores promittebat.

XIII. Sed quia ulterius Revius instat, nos ejus vestigia premamus. Sed, inquit, præcipue eam involvit textu, quem ultimum attulimus, idque tanta arte, ut qui eum solum legerit, non collatis aliis, facile hominem ab omni erroris suspicione absolviturus sit. Nostrum ergo erit, cum serio expendere, quo facto videbimus, nihil eum continere prater meras tergiversationes, prævaricationes & propriae opinionis eversiones. age videamus. Primum ejus ξενοφύλετος est in distinctione infiniti & indefiniti: infinitum ei est, in quo omni ex parte nulli limites sint: indefinitum, quod non habet extensionem tam magnam, quin maiorem habere possit (id quod vulgo dici solet infinitum συμπλήρωμα sive potentiale) & vult videri hoc unum mundo tribuisse, non autem illud. Alterum est in distinctione intellectionis positivæ à negativa, illam esse, cum in re aliqua intelliguntur nulli limites esse, hanc, quæ rei alicujus limites, si quos habet, inveniri à nobis non posse confitemur, & hanc se, non alteram menti nostra adscripsisse videri vult. Resp. Dispiciamus igitur, num monstrante Revio illas tergiversationes & propriæ opinionis Cartelii eversiones videre possimus. Cartesius art. 27. Princip. part. i. Infinitum ita describit: *In quo omni ex parte, non modo nullos limites agnoscimus,*
sed

sed etiam positive nullos esse intelligimus. Indefinitum vero art. 26. Part. i. ei est: *In quo sub aliqua consideratione nullum finem possumus invenire*, unde apparet quam fideliter à Revio sententia Cartelii fuerit relata: nam definitio à Revio adducta est tantum particularis alicujus Indefiniti, non omnis; at Cartelii est generalis. Ita quidem quoddam Indefinitum est, quod non habet extensionem tam magnam, quam maiorem habere possit, sed tale non est Omne Indefinitum, cum etiam alia dici possint Infinita, præterquam quæ extensionis sunt participia. 2. Adeoque nec indefinitum hic simpliciter Cartesio idem est, quod Potentiale Infinitum, cum hoc illo sit angustius, ita ut Omne quidem Potentiale Infinitum sit Indefinitum, sed non omne Indefinitum sit Potentiale Infinitum. Hæc prænotanda fuerunt propter objectiones Revii sequentes.

XIV. *Sed hac omnia falsa sunt:* (inquit Revius) *nam locis antea citatis, non de eo quod esse possit, egit, sed quod reverâ sit; mundum inquam nullos extensionis suæ fines HABERE, in eo spatio REALIA indefinite extensa E S S E, & substantiam Corpoream indefinite extensam in iis C O N T I N E R I.* At indefinitum illud (*quod impropriè ita vocat*) *hoc est infinitum potentiale,*

154 CHRISTOPH. WITTICH.
tiale, nunquam actu HABETVR, nunquam EST aut EXISTIT. exemplo
divisio continui in infinitas partes, nunquam ad illas pervenitur, sed tantum en-
rum numerum aliquem addi POSSERE signi-
ficatur, & hoc modo mundum non ita ma-
gnum esse fatemur, quin major à Deo fieri
POSSIT. Sed & habere eum, & in illi
quoque casu habiturum extensionis sua li-
mites contendimus. Nec ex hac potentia
infinitate, ulla MUNDI AMPLITUDINE
sequitur, cum eadem vel minimis corpora-
lis conveniat, nullum enim tam parvum
est, quin minus, ut nec tam magnum, quin
majus fieri possit in infinitum. Resp. Carte-
sius Princip. II. art. 21. dicit, COENO-
SCIMVS praterea hunc mundum, sui
substantia corporeæ universitatem, nulla
extensionis sua fines habere: quæ verbi
non dextrè accepta obnoxia esse potuerum
calumniæ. Sed si conferantur cum aliis
Cartesii verbis, eorum explicatio erit in
promtu. Art. 29. Part. III. hanc senten-
tiam suam ita profert: Cum mens nostra si-
talis natura, ut nullos in mundo limites ag-
noscat. Et in Epistola ab ipso ad More An-
glum scripta ita loquitur: De Mundi ex-
tensione, de numero partium, in quas mat-
ria est divisibilis & similibus, an sint sim-
pliciter infinita, nec ne, profiteor me nescire.

scio tantum me in illis nullum finem agnoscere, atque idcirco respectu mei dico esse indefinita. Vnde patet verborum art. 21. Princip. 11. hunc esse sensum: *Nos in mundo nullos fines quos habeat possumus cognoscere,* quod verum est, & cum mente Cartesii convenit. Ergo nulla hic contradic̄tio: nam mundum non vocat Infinitum potentialiter, quemadmodum praecedente articulo intelleximus, sed Indefinitum, ita ut posito quocunque termino ejusdem, semper adhuc major mundus sit concipiendus. Sic omnia quæ Revius de Infinito Potentiali declamat, in fumum abeunt.

XV. Videamus quæ contra alteram Cartesii distinctionem profert: *Perperam etiam huc trahitur distributio Cognitionis in Negativam & Positivam.* Neque enim dixerat, mentem nostram mundi limites, quos habet invenire non posse, sed eam cognoscere mundum limites non habere, & ubiunque fines illos fingamus (non putat ergo eos verè dari) semper ultra ipsos spatiis realia esse eam percipere. Resp. quām benē adhibetur à Cartesio divisio cognitionis in negativam & positivam patebit, si quis tantum ad ea quæ superius à nobis fuerunt allata attendat, ex quibus perspiciet quæ Cartesii mens fuerit, quando dicit: *Cognoscimus hunc mundum nullos extensio-*

nis suæ fines habere. Nec mirum est, quod non putet dari limites mundi, quia non statuit mundum esse finitum actu, & superius vidimus, id hactenus solidis argumentis non fuisse probatum. Neque tamen existimat, ipsum absolutè esse infinitum, quia & hoc ratio manifesta non demonstrat, aliudque ex ipsius Verbis inferri non potest, quam ne civisse, an mundus aliquos fines haberet necne. Sed tædet quæ tam clara sunt, toties inculcare.

XVI. A Lentuli Objectionibus refutandis superfedere possemus, cum ex dictis sufficiens ad ea responsio sumi possit, ne tamen imaginetur sibi earum magnam soliditatem, uti consuevit, nos etiam hanc molestiam devorare non detrectabimus. Ita ergò Sapientiæ suæ Novæ p. 205. Mundum hunc sive substantia corporeæ universitatem nullos extensionis sua fines habere, confidenter asseverat. Sententia novitatem probat à fictione & imaginatione nostrâ. Firmo scilicet arguento, & ad quavis opinionum monstra inducenda valido. Sive igitur mundi appellationem nostro, id est, hominum loquentium usu accipiat, sive suo extensionis figmento corporeæ: neutro modo piaculi violata Veritatis criminie purgatur. Nostro loquendi modo mundus pro Cali & Terra complexus, adjunctâ Terra aquâ, ca-

lo,

lo, aëre usurpatur. hac definito spatio esse
 corpora omnes qui non delirant unanimi
 voce docuere. Terram in medio quiescere,
 calum exterius in orbem moveri, & si non
 omnium, recepta tamen quam maxime o-
 nnium sententia est. Iam si Calum extre-
 mitate suâ movetur, extrema ejus poni &
 fines extensionis necesse est. alioqui ne mo-
 veri quidem posset. Taceo jam nihil rerum
 humanarum esse ullo modo infinitum actus
 appellandum: ne propria Deo infinitas cum
 rebus creatis confundatur. Resp. Ad hæc
 sequentia annotamus: 1. Cartesius non af-
 severat mundum nullos extensionis suæ fi-
 nes habere, sed, quod mens nostra talis sit
 naturæ, ut nullos in mundo fines invenire
 possit, cum id apud se expertus fuerit, &
 quilibet aliis experiri possit, testenturque
 illi, qui loco spatiorum realium sive cor-
 porum spatia imaginaria fingunt. 2. non
 desumit probationem Cartesius à fictione
 nostrâ, sed ab ideâ mundi, quam quilibet
 secum circumfert, tali nempe, ut in ea nul-
 li extensionis fines possint reperiri, quæ
 cum non sit à præjudiciis orta, uti ostendum,
 necesse est ut à Deo nobis sit indita,
 & per consequens non aliter ac veritas ha-
 bet, rem repræsentet. 3. Mundum sumit
 Cartesius pro Vniversitate corporum à Deo
 creatorum, neque in eo à communi acce-

ptione recedit: illi enim qui Mundum $\tau\delta$ **Nār**, *Vniversum* appellant, ad hanc significationem attendunt. 4. Quod Terra, aqua & aër reliquaque Corpora per certum spatiū sint determinata, nemo negat, at inde non sequitur totam Vniversitatem, quæ in indefinitum se extendit esse finitam, uti ex superioribus patet. Ex quibus etiam constat, dici non posse, quoisque Cælum se ultra stellas fixas extendat, & an aliquis ipsi competat finis, qui quamvis competeret non sequeretur tamen, mundum se ultra illum per alia corpora nobis ignota non extendere. 5. An cælum moveatur, an Terra in hac dissertatione determinabitur. Posito autem illud moveri, nihil ad Lentuli faceret institutum, quia ultra illud Cælum stellatum, si de ejus finibus constaret, necessariò alia corpora conciperentur. 6. quod hæc Indefinitas mundi, Dei perfectioni nihil detrahatur, anteà visum.

XVII. Pergit Lentulus: Occurretur nobis ab admiratoribus Cartesii, non eam esse mentem docentis, cali & terra spatiū esse infinitum, sed mundi nomine comprehendi & spatiū imaginarium extra calum. Fateor hunc esse Verborum ejus sensum: sed hic pauca me respondentem audiant velim. 1. Quis illi concessit, vocabula in medio posita ad suum & peculiarem sensum dator quere?

quere? 2. Quis illi spondebit, semper fore, qui posteris verborum sensum explicent, & à crassiori & vulgaratâ mundi appellatione eos avocent? 3. Nego ea, qua extra cælum immense spatio imaginamur mundi esse partem aut additamentum. 1. Rationem primam sumimus à definitione nominis **הָבֵן**

Hebraic & ἡλίον à finitate: cui fere semper jungitur in sacris habitatio: Græcis & Latinis ab ornatu, Germanis Welt, quasi voni walten; in eo verò spatio nihil est finitudinis, nihil ornatus, nihil frequantionis. 2. à definitione rei: Mundum appellamus compagm rerum. Resp. 1. Quomodo sententia Cartesii defensa fuerit ex superioribus liquet, unde duæ Lentuli Responsiones suâ sponte concidunt. 2. quod ea quæ ultra quosvis fines mundi à nobis positos sive per cælum, sive per alia corpora supra illud concipimus reverâ sint quid extensum, atque ita corpus, adeoque ad Mundum pertineant, sufficienter à nobis demonstratum existimo. Ergo quæ objicit ex locis Topicis à nominis definitione non præbent argumentum apodicticum, quod nostram sententiam evertat: nam utraque vox Hebræa non tam pro Vniverso, quam pro Terra sumitur, quam finitam esse nemo unquam negavit, & priori dissertatio-

ne ostensum est Scripturam uti vocibus usū obtinentibus, quarum derivatio & origo sāpius est opinioni erroneæ adscribenda, aut saltem ab effectu aliquo magis conspicuo & in sensus incurrente est deducta, rārò à natura rerum. Quid autem sit in illo spatio, quod ultra quoscunque fines mundi fictos reperitur, quod nobis reale est adeoque corpus, aliis imaginarium, quis dixerit? Scimus esse quid extensum & corporeum ex illa idea extensionis indefinita, sed quale sit, nec Scriptura docet, nec ratio novit. 3. mundus appellatur compages rerum omnium creatarum, vel compages omnium corporum à Deo creatorum: at inde non sequitur, nos ejus fines assequi posse.

XVIII. Atque ita Cartesiani argumenti firmitas est ostensa, idque ab Exceptionibus adversiorum est liberatum, nunc videamus quid illi, qui mundo certam figuram statuunt adsignandam pro suā sententia adferant. Vulgata autem est eorum sententia qui Mundo rotundam figuram tribuunt, atque hi præcipue istis nituntur rationibus, quas videre est apud Keplerum lib. 2. **Astronomiæ Copernicanæ.** 1. Quæ figura est capacissima, ea mundo competit: Sed figura Sphærica est omnium isoperimetrarum capacissima, E. Minor negari

negari non potest, cum certissimis demonstrationibus Geometricis nitatur. Major verò quia negari posset ob hanc rationem, quod Deus potuerit mundum efficere alterius figuræ non isoperimetrae, sed ambitus majoris, quam sphæra, sic probatur. Cum Deus & Natura nihil faciant frustra, quandoquidem idem potuerit obtineri per figuram sphæricam, quam per aliam ambitus majoris, sed ejusdem capacitatis, ex simplicitate operationis Dei colligendum potius eum sphæricam figuram mundo indidisse.

XIX. *Resp.* Majorem illam futuram fuisse veram, si nobis de finibus mundi constaret, & si sciremus, mundum aliquam figuram habere, tum enim probabiliter saltem colligi posset, Sphæricam figuram potius quam aliam mundo competere, sed cum mundus non aliter ac indefinitus possit concipi, ut ostensum, hæc Major falsa est. Probatio autem Majoris procedit benè contra eos, qui aliam figuram mundo volunt esse tribuendam: at cum nos negemus ullam figuram mundo competere, quod Major supponit, non probat, illa probatio est frustranea.

XX. 2. *Obj.* Qualis figura mundo Archetypo per Analogiam tribuitur, talis etiam Mundo Ectypo est tribuenda: Sed mundo Archetypo, Deo, tribuitur figura sphæ-

sphærica, quod inde probari potest, quia Ægyptii Deum per Circulum soliti fuerint repræsentare, cui consonat illud: *Deus Circulus est, cuius Centrum ubique, circum ferentia nusquam.* Imò putat Keplerus mysterii Trinitatis in sphæra aliquam similitudinem reperiri, quod ita declarat:

1. Sicut Centrum, inquit, est quasi origo sphærici, ita Pater est origo Filii.
2. Quemadmodum superficies est character & imago centri & quasi fulgor ab eo, & qui superficiem videt, is eo ipso & centrum videt: ita etiam Filius est character & imago Patris Heb. 1. & qui videt Filium, videt Patrem Ioh. 14.
3. sicut intervallum inter Centrum & superficiem resultat ex comparatione Centri cum superficie, & sic procedit ab utroque: ita Sp. Sanctus procedit à Patre & Filio.

X X I. *Resp.* 1. In genere, quicquid sit de illa comparatione Sphæræ cum S. S. Trinitate, argumenta talia à proportione & harmonia desumpta parum aut nihil demonstrare: harmoniæ enim si in rebus inventiantur, sunt considerandæ, sed non licet ab harmoniis ad rerum existentiam argumentari, & ut earum pulcritudine delectemur, res quasdam in quibus sint, fingere. Sic non licet inferre: Est Mediator Γεωργίου , qui homines lapsos cum Deo unit.

Ergo

Ergò est etiam ἡ αἰγαλός, qui assumit naturam angelicam, & angelos qui deseruerunt suam originem, cum Deo reconciliat.

2. Deo tribuitur sphærica figura non nisi Metaphoricè, sed à Metaphorico sensu ad proprium non procedit argumentum.

3. Major est absolutè falsa, alias æquè inferrem omnibus corporibus, immo omnibus creaturis sphæricam competere figuram, cuius tamen contrarium experientia ostendit, si dicerem: Deus est Archetypus omnium tam Corporum, quam reliquarum Creaturarum: E. cum illi Archetypo tribuatur sphærica figura, etiam cuilibet Ecotypo cum manifesta absurditate esset tribuenda.

XII. Atque ita vidimus universo sive Mundo nullam posse neque Sphæricam neque aliam figuram adscribi. Huic quæstioni cognata est, quæ quærit de figura Cæli stellati, quod quidem à plurimis Philosophis Ethnicis habitum est pro corpore mundi extremo, Christianis communiter Cælum Empyreum supra illud collocantibus. Communis est sententia Carlo stellato, quoad extremum suum ambitum, convenire figuram sphæricam. Nos quid in ea sit soliditatis, operæ pretium est, ut indagemus. Primum igitur origo hujus sententiæ videtur esse desumpta ex perniciofissimo

simo errore, quo statuitur Cælum esse Deum, quæ quidem sententia fuit Aristoteles, teste Plutarcho de Placitis Philosophorum lib. 1. cap. 7. *Aristoteles summum quidem Deum formam abjunctam universæ sphera innitentem, aethereo corpore, quod ab ipso quintum vocatur.* Et patet ex lib. 2. de Cælo cap. 3. ubi hæc reperiuntur. Εγα-
στιν ἐστιν, ὅν ἔργον ἐστιν, ἐνεκε τέχνης. Θεός δὲ, κα-
ίργεια αἴτιασια. τέρπ δέ ἐστι των αἰδίον ταῖς ἀρχαῖς. ὡς
ἀράγοντι τῷ θεῖῳ κινούντι αἰδίον ταῖς ἀρχαῖς. ἐπεὶ
δὲ ὁ σπερμὸς πολέμος. σῶμα γάρ τι θεῶν. Σῆ-
ται εὖλοι τὸ εγκυόταντο σῶμα, ὁ φύσης καὶ τοῦ
κύκλου ἀεὶ. Unumquodque eorum, quorum
est opus, id est operis causa: Dei verò ope-
ratio immortalitas est. Hoc autem est per-
petua vita. Quare Deo perpetuum esse
motum necesse est. Cum verò cælum sit ta-
le, (est enim corpus quoddam divinum) eo
corpus habet rotundum, quod naturâ sem-
per in orbem movetur. Quamvis autem ve-
lint quidam Interpretes, Aristotelem hic
loqui more Platonicō, non ex opinione sua,
tamen Πολυμαθέσεωι Vossius satis osten-
dit, hanc fuisse Aristotelis propriam men-
tem lib. 2. de Idololatria cap. 40. p. 530. &
seqq. ita p. 533. concludens. Ut melius sen-
sisse Aristotelem credamus, verba non si-
nunt. facile autem, ut deterius senserit:
qua Achillini, Piccholominae & aliorum
senten-

sententia fuit. Ex quorum opinione Aristoteli cali forma informans est anima caelis; nec aliud est anima, quam intelligentia. Quomodo Cælum componetur ex orbe suo, ut corpore, & animâ sive intelligentiâ, ut formâ perficiente. Atque ita Deus sit corporeus, quatenus Dei nomine orbis corpus & motorem ejus complectimur. Orbis igitur qui movetur ignobilior pars divina fuerit substantia; ut corpus nostrum pars est vilius hominis. At pars nobilior sic motor, ut anima in nobis. Inde ergo factum est, ut Cælo, quod ita habebatur pro Deo, rotunda figura tanquam pulcherrima fuerit attributa, cum ergo fundamento tam malo hæc opinio innitatur, meritò nobis suspecta esse debet.

X X I I . Secundum argumentum nobis inde desumitur, quod, cum ex superioribus pateat, non constare, utrum undique Cælum Empyreum hoc cælum stellatum circumcingat, incertum sit, annon ab altera parte ita protendatur, ut nos nullum finem, quem habeat, cognoscere possimus. Sed etiam posito (quod tamen est dubium) Cælum Empyreum undique hoc Cælum stellatum ambire, cum nemo nōrit, quænam istius Cæli Beatorum sit figura concava, & ferè nunc inter omnes sit inconfesso, cælum esse corpus fluidum, quod termini-

terminum accipit ab ambiente , manifestum erit, nobis impossibile esse, ut certam determinationem quantitatis sive figuram Cælo stellato assignemus. Itaque cum neque constet, an habeat figuram aliquam Cælum stellatum, neque si habeat, quænam illa sit indagari possit, temerarium est certi aliquid h̄ic statuere.

X X I V . Sed videamus ea , quæ pro Cælorum rotunditate objici solent , ut fructilitate istarum rationum cognitâ tantò magis incertitudo hujus sententiæ patet. Objici ergò primò solet : corpori simplici competit simplex figura ; Cælum est corpus simplex ; Sphærica etiam figura est simplicissima ; Ut enim circulus inter figuras planas est simplicissima : ita sphærica figura inter solidas. nam 1. ut circulum unica linea ; ita sphæram unica superficies claudit 2. ut in circulo medium ab extremis est æqualiter remotum , ita & in sphæra. 3. ut in circulo neque initium est , neque finis ; ita neque in sphæra. 4. ut circulus respectu suarum partium non mutat locum, ita sphæra respectu suarum circa centrum convoluta semper eundem occupat locum (hoc est, quatenus & circulo & sphæra circumvolutis circa centra partes istarum figurarum , motu suo nulla expellunt corpora , in quorum locum succedant) A-

lix

liæ verò figuræ omnes solidæ vel non terminantur unâ linea, ut Pyramides, Prismata, sed multis, adeoque non sunt tam simplices; nec reliqua simplicitatis requisita ipsis competit, ut ex collatione patebit: vel si terminantur una linea, ut figura Ovalis, Elliptica, medium tamen ab extremis non est æqualiter remotum, nec in motu suarum partium præcisè eundem occupant locū, quia motu isto alia corpora expellunt, in quorum locum hæ partes succedunt.

X X V. *Ref^r. 1.* Falsa est Minor illa, quam ipsa Experientia multis modis refutat; vcl enim ex Solis Cometis & maculis in Sole evinci potest, Cælum non esse corpus simplex & incorruptibile, uti vulgo putatur. Cometas enim esse in Cælo à Tycho Brahe ita est demonstratum, ut in dubium revocari nequeat; maculae enim Solares per tubos opticos sunt deprehensæ, illæque jam densiores, jam rariores, jam crescere, jam decrescere sunt visæ, quod est generationis alicujus & corruptionis argumentum. Clavius Comment. in sphæram de sacro bosco p. 211. testatur Platonem ante Aristotelem cum multis aliis Philosophis sensisse cælum esse corruptibile, & post Christum non paucos, inter quos Ambrosius, Basilius, Gregorius Nyssenus & cætera ferè Ecclesiæ lumina idem non obscurè do-

docuisse. Et vel ipsa imbecillitas rationum, quibus Aristoteles & ejus sequaces moti. Cælo quintam quandam essentiam adscripserunt, satis ostendit, quanti debeat haberi hæc sententia, ita gratis asserta & posita, uti ostenditur à Baßlone Philosophiæ Naturalis lib. 1. de Cælo p. 458. 2. Major propositæ Objectionis etiam vacillat: non enim figura oritur à corporis simplicitate vel compositione, sed à motu: neque enim ulla futura effet figura, si omnia quiescerent, immo neque corpora forent in mundo, sed omnia in unum essent concreta. Considerari autem debebat potius, Cælum esse corpus fluidum, quod figuram accipiat à Continente, quod quale sit, quamque figuram concavam habeat, non satis constat. 3. retorquetur potius argumentum. Quo corpora sunt simpliciora, eò minus simplex figura videtur convenire. Nonne enim aér, Ignis, Aqua, secundum oppositæ sententiae Patronos sunt corpora simpliciora mixtis: attamen figuræ, quas habent, planè sunt irregulares fluxæ & inconstantes.

X X V I. Obj. 2. Si cælum non effet rotundum, sed aut trilaterum aut quadrilaterum, aut etiam multilaterum, sequeretur & locum aliquem fore vacuum & corpus aliquod fore sine loco. Vacuus enim locus inter angulos circumacti corporis relinqueret.

queretur, & ipsi anguli perpetuò moverentur in vacuo. Atqui utrumque absurdum est, & naturæ rerum contrarium. Si verè Cælum esset figurâ lenticulari, aut conicâ, vel etiam cylindrica, hæc quidem incommoda non sequerentur, sed alia graviora. Cum enim motus Orbium inferiorum sit obliquè oppositus motui supremi Orbis sive primi mobilis, fiatque super diversis polis, necesse esset aut cælos scindi, aut alios ab aliis penetrari, si non essent figura orbiculari.

X X V I I . *Reſp.* Objectio hæc procedit ex variis falsis & incertis hypothesibus, quibus sublati hoc argumentum cadere est necesse. nam 1. præsupponitur Cælum Empyreum undique ambire sidereum, quod ratione destituitur, adeoque incertum existit. 2. superficiem Cæli Empyrei concavam, sive cam quæ respondet Cælo stellato, esse rotundam, quod gratis ponitur. Itaque posito Cælum stellatum esse trilaterum aut quadrilaterum, &c. dico Cæli Empyrei superficiem talem futuram, ut ei accurate respondeat, vel aliud corpus inter Cælum Empyreum & Sidereum interpolatum iri, quod illam lacunam repleat, & sic remotum iri omnem metum & suspicitionem vacui. 3. Cælum constare ex Orbibus solidis, qui pellicularum instar in cepis sese

H invi-

invicem ambiant, quod cum fluiditate Cæli non convenit & multis aliis modis est absurdum. 4. sumitur etiam tanquam in confessio: Orbes illos fictitious à primo mobile rapi ab Ortu in Occasum, quod itidem falsum esse in sequentibus à nobis demonstrabitur, ubi illam variationem dici & noctis pendere ostendemus non à cæli fidere, sed à Terræ diurnâ circumvolutione. His itaque hypothesisibus, quibus tanquam tibicinibus haec Objectio nitebatur, sublatis, sponte suâ corruit.

X X I X. 3. *Obj.* Si Cælum non esset rotundum, sequeretur stellarum fixarum alias aliis Terræ propinquiores fore, aut ab ea remotiores, quod absurdum videtur.

X X I X. *Resp.* Non est absurdum, alias stellas nobis propinquiores esse, alias à nobis remotiores; cum enim stellæ fixæ nullam aut vix observabilem habeant parallixin, de earum distantia nihil certi potest definiri. Eas autem inæqualiter à Terra esse remotas, ex lucis inæqualitate patet, quæ etiam in minutis stellis est valde vivida, indicioque quod major & minor stellarum lux ex majori minorive remotione à nobis oriatur, quemadmodum à Cartesio est demonstratum, ut sic sententiam illam de stellis omnibus in una superficie collatis, tanquam præjudicium vulgi debeamus abjicere.

C A-

C A P V T I I .

De Medio sive Centro mundi , nec non circumvolutione Planetarum.

I. **A**B extremis mundi hujus adspectabilis progredimur nunc ad ejus medium, ab ambitu ad Centrum , ut dispiciamus quodnam sit Centrum Vniversi. Atqui hic iterum illud judicum Romanorum usurpare debemus **N O N L I Q V E T.** Cum enim finem & terminos mundi ignoremus, eunique ut indefinitum concipere necessum habeamus , uti præcedente capite est ostensum, non etiam de medio constare poterit, uti appetet ex relatione illa , quæ inter media & extrema existit.

II. Quod si verò medium aliquod respectu motū planetarum , circa quod volvantur adsignare velimus , illud necessariò Soli erit tribuendum. Atque hic quidem haec tenus inter Tychonianos & Copernicanos convenit (profligatâ jam Ptolemaicâ dispositione ob aliquorum phænomēorum repugnantiam) quod circa Solem Saturnus, Iupiter, Mars, Mercurius & Venus, Luna circa Terram moveantur ; sed in cœst differentia quod Tychoniani Solem circa Terram , cum quinque his Planetis tanquam suis Satellitibus moveri statuant ,

Copernicani verò inter reliquos Planetas constituto loco , etiam Terram circa Solēm rotari existimunt, quod cum in sequentibus sit demonstrandum, pro certo habendum est , Solem esse illarum circumvolutionum Centrum non Geometricum quidem sed Physicum , cum ab eo pendeant omnium Planetarum circumvolutiones.

III. Contra Terram in medio non tantum circumvolutionum Planetarum , sed totius Mundi esse positam , communis est sententia , quæ quibus nitatur rationibus, considerare h̄ic lubet. Atque primò ita argumentantur qui id statuunt : Si stellæ seclusis vaporibus in quacunque mundi Regione five ad Ortum five ad Occasum quibuscumque Temporibus nobis apparent eisdem magnitudinis. E. neceſſum erit Terram collocari in medio mundi : sed verum prius experientiâ docente : E.

IV. *Reſp.* Majoris Connexio negatur : fieri enim potest , ut accessus ille Terræ ad firmamentum toto Orbitæ suæ intervallo non habeat tantam proportionem, ut exinde stellarum adspectus quantum ad magnitudinem debeat variari ; quemadmodum intervallum diametri Terræ ad stellarum remotionem nullam proportionem habet, ut stellæ eadem & nobis & antipodibus nostris sub eadem appareant magnitudine.

Fateor equidem hoc multis, qui non satis attentos oculos habent ad magnalia Dei, adeò videri absurdum, ut propter illud solum sententiæ Copernicanæ, à qua alias non videntur alieni, nuncium mittant. Sed nos suo loco demonstrabimus, hoc nullo modo pro absurdo esse habendum.

V. *Obj. 2.* Si Terra non esset in medio mundi, sed propinquior ab una parte firmamento, quam ab altera, tunc is qui existeret in parte Cælo propinquiori non videret cæli medietatem, sed minorem partem; quemadmodum alter qui existeret in parte à Cælo remotiori, majorem partem ~~conf~~spicaretur: Sed hoc est absurdum & ~~c...~~ experientia pugnans, quia semper 6 Signa Zodiaci nobis oriuntur, totidemque occidunt.

VI. *Reff. 1.* Illam propinquitatem Terræ majorem vel minorem ad firmamentum non esse sensibilem. 2. Circuli omnis imaginarii centrum esse Terram libenter concedimus: oculus enim noster, ubicunque sit constitutus, format sibi Circulos in Cælo Maximos, Horizontem, Æquatoriem, Meridianum, Zodiacum, & concipit stellas omnes fixas tanquam in eadem superficie sphæricâ, quia visus eò usque non potest distinguere remota & propinqua. 3. non est absurdum dicere, eum qui exi-

174 CHRISTOPH. WITTICH.
steret à Terræ parte cælo propinquiori,
non videre Cæli Medietatem, sed partem
minorem & contra. Quis enim quæso
mensus est id, quod de Cælo simul uno in-
tuitu comprehendit? Quantacunque tamen
mundi portio cernitur, ea imaginatione
sphæræ circa visum descriptæ censetur esse
perfectum hemisphærium. Oculus vero
putans, Cælum esse Terræ extremo cir-
cumquaque contiguum, non alia semidia-
metro altitudinem fornicis, quam ipsam
latitudinem distantiamve Horizontis me-
titur.

VII. Obj. 3. Si Terra non sit in medio
mundi, erit vel in plano Äquatoris extre-
mudi axem, vel in axe mundi extra plan-
um Äquatoris, vel extra utrumque. Sed
omnia hæc sunt absurdâ: E. erit simul in
plano Äquatoris, & in axe mundi, & per
consequens in mundi centro.

VIII. Resp. 1. Hoc argumento be-
nè infertur, Terram esse in medio Äqua-
toris; at inde non sequitur eam in medio
esse mundi. Äquatoris autem formatio
pendet à visus imaginatione, qui ubicun-
que sit Terra, Äquatorem concipit. 2. axis
Mundi nihil aliud est, quam axis Terræ,
circa quem illa motu diurno rotatur, qui
dum concipitur continuatus usque ad fixas
dicitur axis mundi, adeoque Äquator con-
cipitur

cipitur circulus maximus, medius deductus inter polos Terræ & extensus usque ad firmamentum.

I X. Si Terra non esset in medio mundi sita, non fierent Eclipses Lunæ semper, quando duo luminaria per diametrum opponuntur, ut sint sub signis Zodiaci oppositis: sed Eclipses tunc fieri Experientia docet.

X. *Resp.* Eclipse Lunaæ fit, quando inter Solem & Lunam Terra interponitur, ut haec tria corpora sint in una linea, quo fit, ut Terra propter suam magnitudinem, quam Lunam aliquoties excedit, impedit, ne possit haec a Sole illustrari. Ducta autem linea a Sole ad Lunam, dummodo Terra in illa collocetur, sive in medio istius linea, sive proprius ad Solem, sive proprius ad Lunam, semper fiet Eclipse, uti attendenti est perspicuum.

X I. *Obj. 5.* Quo tendunt omnia gravia, illud est centrum Mundi: sed ad Terram omnia gravia tendunt. Maj. exinde probatur, quia gravium natura est, ferri & tendere ad mundi centrum.

X II. *Resp. 1.* Negatur Major illa, aliud enim inferri nequit, quam istorum gravium, quae sunt circa Terram, eam esse centrum, id est locum in quo quiescunt; nam per se feruntur duntaxat versus Terræ.

corpus, ut ei uniantur, sed quia id faciunt per brevissimam lineam, quam simul contingit spectare Centrum, fit ut per accidens ad Centrum ferri dicantur. Vnde autem constabit, gravium esse eam naturam, ut ferantur & tendant ad mundi centrum? an est talis vis insita, quæ faciat gravia cognoscere quodam instinctu naturali suum centrum? at hoc pugnat cum natura corporum, & oritur ille conceptus confusus ex non satis observata distinctione inter res corporeas & cogitantes, unde factum, ut attributa rei cogitantis fuerint assignata rebus extensis, & vice versa, ut pluribus ostendi posset exemplis, si ferret institutum. 2. pugnat talis vis insita cum principio naturaliter noto, etiam ab Aristotele saepè inculcato, quod omne quod moyetur, ab alio moveatur. Sed quia videmus corpora gravia tendere deorsum, cum interim visu percipere nequeamus tenuissima corpuscula à Terra resilientia, quæ illa deorsum premunt, & sensus nostros omnium rerum facimus indices, itaque quia nihil videmus à quo deprimentur, etiam nihil esse putamus, adeoque à se ipsis moveri vulgo statuimus. Et possemus ex Cartesii lib. i v. Principiorum gravitatis naturam demonstrare, sed non requiritur ad nostrum institutum, & sufficit sic ostendisse fallitatem

Majoris. 3. Nec Minor etiam probari posset, unde enim manifestum fiet, an non circa Iovem & Saturnum sint quædam gravia, quæ ad ipsos tendant, quemadmodum gravia circa Terram ad ipsam feruntur. Quod enim sit alia planè materia, cælestium ac terrestrium & quinta quædam Essentia, assertum quidem est ab Aristotele ex illo errore, quo statuit cælestia esse corpora quædam divina, sed non probatum, imò ab aliis hæc sententia fallitatis convicta.

XIII. *Obj.* 6. Gravissimum Corpus tendit ad infimum locum, nempe ad punctum remotissimum à Cælo: Sed Terra est Corpus Gravissimum.

XIV. *Reff.* 1. Præsupponitur in hoc argumento, Cælum sidereum habere rotundam figuram, ut punctum à circumferentia remotissimum pro centro sit habendum: sed ostensum est anteà, id valdè incertum esse. 2. Negatur Major, nitens eo fundamento, quod vel centro insit aliqua vis corpora ad se attrahendi, vel vis aliqua Corporibus competit centrum per se pertendi. 3. Minor probatione etiam indiget: Terra enim propriè loquendo in se neque gravis, neque levis est, gravitas quippe & levitas competit Corporibus, quia ad Terram vel accedunt vel ab ea recedunt: at in-

de Terra levis vel gravis dici non debet; neque enim centri, puncti imaginarii talis vis est, ut Terram ad se trahat. Adde tamen ex superabundanti: Si Terra ponetur extra hunc locum naturalem, in quo est, ex. gr. Si poneretur in locum Iovis, eam eò delatam iri, ubi nunc est, quod isto in loco commodissimè circa Solem deferri possit, uti à Cartesio est demonstratum.

X V. *Obj.* 7. Si Terrâ in æquales portiones divisiæ, ejusdem figuræ magnitudinis & ponderis hæc è diversis locis sub concavo Lunæ demitterentur, tum omnes partes eodem tempore procul dubio ad eundem locum descenderent: At hoc non posset fieri nisi in Centro Mundi: Ergò Terra est in mundi Centro.

X VI. *Resp.* 1. Major non est vera simpliciter: hoc quidem sequeretur, illas portiones Terræ esse conventuras in unum locum inter se, sed non futurus esset idem locus cum eo, in quo nunc Terra existit, sed tantò magis ad Solem accessuræ essent istæ portiones æquales, quò minores fuerint, & si quælibet pars Mercurio minor esset, cæteris partibus Soli propiores esse futuras, quam ipsum Mercurium. 2. non etiam necessariò eodem tempore in eundem locum conventuræ essent, sed posset fieri, ut aliæ tardius, aliæ citius, eò pervenirent,

prout

prout ab intermediis Corporibus variè ista delatio impediri posset. 3. Concessa Majori Minor falsa nihilominus est, hic enim locus in quo convenienter, non necessariò esset centrum mundi, sed locus tantum, qui Terræ situi convenienter in proportione & respectu ad alia Corpora.

XVII. *Obj.* 8. Circuli Cæli proportionaliter sese habent tam in longum quam in latum. Nam ubivis 15 millaria Germanica efficiunt unum Gradum in Cælo: Ergo erit idem eorum centrum, scilicet Terræ Centrum.

XIX. *Resp.* Conceditur Terram esse Centrum illorum Circulorum imaginariorum, quia describuntur à nobis in Terra constitutis; immò describerentur etiam è Iove, si nos in illo essemus collocati, sive, si Terra nostra eo in loco esset constituta, ubi nunc est Iupiter. Sed inde nullis fiduculis potest elici, Terram esse Centrum totius Vniversi.

XIX. *Obj.* 9. Si Terra non esset in medio mundi, non essent futura Æquinoctia, sole ingrediente Æquatorem: Atqui negari non potest, quin tunc Æquinoctia fiant, Ergò.

XX. *Resp.* Major illa est falsa, neque aliud quid infert quam Terram esse in medio Zodiaci & Æquatoris, ad quorum in-

180 CHRISTOPH. WITTICH.
terfectionem Sol tempore Äquinoctii mo-
tu apparenti pervenit, quod nos non nega-
mus. Quod autem idem obtineatur siue
Sol motu vero in Zodiaco deferatur siue
Terra, non sunt omnes, qui levem quandam
Astronomiae cognitionem sunt adepti.

XXI. *Obj.* 10. Terræ ignobilissimo Cor-
pori competit locus etiam ignobilissimus,
E. erit in Centro mundi.

X X I I. *Reff.* In hoc argumento mul-
ta præsupponuntur, quæ tamen dubia, imò
falsissima existunt: nam 1. unde constat,
quod Terra sit corpus ignobilissimum? nisi
ex erronea opinione quod materia Cæli sit
divinum quid, & Terra non nisi sentina to-
tius mundi. Quid impedit, quin æquè no-
bilis sit ac Venus vel Mercurius, vel aliis
quisquam Planeta? 2. quænam loco Nobil-
itas vel Ignobilitas ut tali competere po-
test? Hæc enim non nisi respectivum quid
important. Quare ex hoc argumento à So-
le remotissimum censenda esset habere lo-
cum & remotiorem ipso Saturno, quod ta-
men etiam cum Tychoniana hypothesi pu-
gnaret. 3. Vnde probatur, quod in loca-
tione corporum mundanorum habita fue-
rit ratio Nobilitatis vel Ignobilitatis, po-
tius quam Naturæ? 4. Vnde etiam proba-
tur, quod hic præsupponitur Centrum esse
locum ignobilissimum? quin potius no-
bilitas

bilitas quædam Centro competit, cum sit origo circumferentiæ ex eo ductæ.

X X I I. His Objectionibus nunc sub-jungo Danæi ex Scriptura petitas quasdam argumentationes. Is tractatu 3 Physicæ suæ Christianæ cap. 21. ita suam sententiam ex Scriptura sibi videtur firmare. *D. Planè igitur Terram meditullium mundi obtinere censes. P. Censo. Atque cur sic existimem hæc ratio est multiplex, quam ex ipsa divina Scriptura duco. Prima quod à Calo (quod totius hujus mundi locum supremum occupare nemo sanus dubitat) longissimè spatii & intervalli ratione distat Terra Psal. 103. v. 11. Qui verò locus longissimè à Supremo disjungitur, is procul dubio est infimus. Ergo sit infimo loco necesse est, aut verum non dixerit Scriptura. Id quod vel omnino cogitasse nefas est. Secundo autem, quod Cælum & Terra inter se opponuntur in Scriptura, veluti imum summo, quemadmodum ex Eph. cap. 4. v. 9. apparet. Tertio quod ubique infima loca tribuuntur Terra, uti Ps. 95. v. 4. & aliis passim locis. Vnde terram infimò omnium locò collocatam esse apparet.*

X X I V. Resp. Tria citata loca hæc sunt: Ps. 103. v. 11. Sed quām alti sunt celi super terram, prævalet benignitas ejus erga timentes eum. Eph. 4.9. Carterum illud ascen-

dit, quid est, nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terra? Psal. 95. 4. In cuius manu sunt ima vestigia terra, penes quem sunt vires montium. Sed illa cum judicio consideratq; nobis nihil obesse conspicientur. Cælum sidereum in quo sunt stellæ fixæ locum superiorem inter corpora à nobis conspicua occupare concedimus: at an absolutè sit supremum, ut nullum aliud corpus supra se habeat, non constare in superiori capite ostendimus, imò saltem ab aliqua parte supra se habere Cælum Beatorum vidimus, sed quidquid sit de eo 1. Ps. 103. nihil aliud dicitur, quam Cælos à Terra esse valde remotos, quod nemo negat, imò tantam esse distantiam, ut à nullo hominum hæc tenus ea potuerit inveniri. Sed inde non sequitur Terram esse in mundi Centro; neque enim hic comparatio inter Terram, Solem, Mercurium instituitur quasi Cælum stellatum magis à Terra distet, quam ab his Corporibus, sed tantum absolutè dicitur, magnam esse Cæli super Terram altitudinem. 2. Eph. 4. uti vidimus in superiori dissertatione, ostenditur Christum extanta altitudine, ex tam sublimi throno se demississe, atque ita mentio fit descensus de loco sublimiori ad locum inferiorem, ut simul connotetur status humiliatio. Itaque est comparativa locutio, quâ Terra ad Cælum

lum altum collata valdè humilis & depreſſa eſt: ſed non abſoluta, quiaſi nullum cor-pus à cælo magis eſſet remotum, quam Terra. 3. Psal. 95. eſt planè ἀνέστοινος, nam ne quidem ibi Cælum & Terra oppo-nuntur, ſed loca Terræ depreſſiora, locis altioribus montibus nempe.

XXV. Coronidis loco reſpondebimus ad ea, quæ Revius ſtateræ fuæ p. 319. op-po-nit: *Addimus, inquit, articulum aſcenſionis Christi per hanc opinionem inverti. Cum enim Christus non noctu ſed claro die, videntibus Apostolis (Act. 1. 9, 10, 11.) aſcenderit, ſanè caput ad Solem erectum ha-buit, quiſi in imo mundi erat, non aſcendiffe Christus, ſed deſcendiffe dicendus eſſet.*

XXVI. Reſp. Nihil hīc eſt periculi. Quis non novit, id dici ſurſum, quod eſt ſuper capita noſtra, deorsum verò id quod eſt ſub pedibus noſtris: Hæ enim denomi-nationes loci, quales ſunt: dextrum & ſini-ſtrum, ſurſum & deorsum, ante & retrò, o-mnes deſumptæ ſunt à partibus Corporis noſtri: igitur quia habuit caput verſum ad Solem, eo ipſo diſci debuit adſcendiffe, quia motus ille verſus eum locum, quem caput reſpiciebat, proceſſit. Quod ſi Terra vel ibi collocata eſſet, ubi nunc eſt Iupiter, ni-hilominus ſurſum id eſſet dicendum, quod eſſet ſuper Capitibus hominum in Terra
degen-

degentium, & vice versa deorsum, quod
sub pedibus. Talem autem communiter esse
acceptiōnēm vocabulorū sursum & deor-
sum discere possumus ex Platone in Ti-
mæum, cuius Verba hic adjungere lubet:
*Sed illud dictu absurdum est, esse duo qua-
dam naturā loca à se invicem longo inter-
vallo distincta: & unum quidem deorsum
vocari, ad quem locum ea deferantur o-
mnia, quacunque molem quandam Corporis
habent: alterum verò sursum, ad quem vi
omnia moveantur. Cum enim Calum omne
retundum sit, quacunque à medio & què di-
stantia extrema facta sunt, similiter esse
oportet extrema. Medium quoque equali-
bus lineis ab extremis undique distans, è
regione & què omnia respicit. Quoniam igi-
tur ita mundus dispositus est, si quis dicto-
rum quicquam sursum esse dixerit vel deor-
sum, non injuriā errore videbitur. Medius
enim locus in ipso neque sursum, neque deor-
sum dici debet, sed medius. 2. Quamvis au-
tem non diffitear motum alicujus corporis
versus centrum dici posse ejus descensum,
quemadmodum & Cartesius loquitur art.
120. Princip. Part. 111. satis tamen clari-
tum Scripturam potius rationem habuisse
locutionis istius communiter receptæ, quâ
id quod capiti nostro imminet sursum di-
citur, & quod à pedibus nostris calcatur
deorsum.*

deorsum vocatur, quām alterius istius à communi loquendi consuetudine remotæ, ac non nisi iis usitatæ, qui Philosophicè rerum naturas rimantur. 3. non dicimus Solēm esse in imo mundi; sed respectu motuum planetarum centrum obtainere aestimamus, non quidem Geometricum, sed Physicum: at medium mundi, quod Revius vocat *imum*, indeterminabile esse profitemur.

XXVII. Denique, addit Revius, *cum infernus damnatorum à plerisque Theologis non sine magna ratione in imo, & à sedibus beatorum remotissimo loco esse statuatur, scriptura inter hæc magnum Chasma ponente*, Luc. 16. 20. *& abyssum, puteum, stagnum tenebras exteriores passim calamitosum illum locum vocante; sequitur juxta Systema Copernicanum infernum in ipso Sole esse, quod quā verisimilitudine possit asserti, prudentioribus expendendum relinquitur.*

XXIX. Resp. Vbi sit infernus, nos anxiè non disquirimus, sed potius laboramus omnibus modis, ut Christo verâ fide adhærentes ab eo tuti reddamur. Pontificii eum in medio Terræ statuunt, quod quavis non omnino sit absurdum, tamen est incertum. Sed non sequitur, eum fore in Sole, nam an Sol, an Terra, vel quodnam aliud.

aliud Corpus absolutè à Cælo Beatorum sit remotissimum quis dixerit. Fatemur ex loco Luc. 16. constare valde remota esse à se invicem Cælum Beatorum & Infernum: sed potest esse aliud Corpus à Cælo isto adhuc remotius, in quo tamen non necessariò infernus collocandus.

C A P V T III.

De situ & Ordine præcipuorum mundi corporum inter se. Aditus porrò fit ad quæstionis de motu Terræ decisionem per enarrationem Autorum, qui hanc sententiam, quam nos turbimur, afferuerunt.

I. **A**TQUE ita vidimus, quid de extremo mundi & medio sit statuendum, nunc spectemus alia quoque mundi corpora præcipua, quem situm & ordinem inter se habeant considerantes. Sed hic vicissim in partes itur. Tres opiniones tamen in hoc negotio sunt celebriores: Prima dispositio est Ptolemæi, qui in medio ponit Terram, circa quam proximè volvi statuit Lunam, hanc excipit Mercurius, quem tertio loco sequitur Venus in ampliori circumferentia, quarto Sol, quinto Mars, sexto Iupiter, septimo Saturnus, octavo Firmamentum.

Omnes

Omnis autem hos Planetas deferri ait à suis sphæris ab Occasu in Ortum , alios cito , alios tardius , dum interim omnes à primo mobili rapiantur ab Ortu in Occasum.

II. Secunda dispositio est Tychonis Brahæi nobilis Dani , qui itidem Terram in medio mundi collocat , atque circa eam tria mobilia ferri statuit , proximè Lunam , posteà Solem , Tertiò firmamentum . Circa Solem verò moveri dicit quinque errantes , Mercurium proximè , dein Venerem , sed ita ut illi duo suo circuitu Terram non intercipiant , hanc consequitur Mars , ampliori ambitu Iupiter & adhuc ampliori Saturnus , sed ea lege , ut suis circumferentiis & Terram cum Lunâ complectantur . & hi omnes , cum interim propriis motibus circa solem moventur , à Sole annuo motu circumatum suum circa Terram absolvente simul circumvehantur . Motum vero diurnum ita explicat , ut ipse Fixarum Orbis , eodem modo ac Ptolemæo visum , inferiores omnes sphæras secum rapiat ab Ortu ad Occasum .

III. Tertia Dispositio est Copernici , cui Sol est in medio , quem arctiori ambitu circumvit Mercurius , laxiori Venus , tertio loco Terra , cum suo Satellite Lunâ , quarto Mars , quinto Iupiter , cum suis quatuor satelli-

satellitibus, sexto Saturnus, & tandem stellæ fixæ. Motum diurnum porrò fieri Terræ circa axem suum convolutione. Atque hæc dispositio adoptata est à Cartesio cum hæc cautione, ut Sol quidem sit in medio istarum circumvolutionem Planetarum, sed non in medio mundi, deinde ut stellæ fixæ non in una aliqua sphæra collocentur, sed hinc inde, aliæ magis, aliæ minus, à Sole removeantur.

IV. Priori dispositio Ptolemæi jam communiter rejicitur, quod non satisfiat per eam omnibus Phænomenis, & experientiæ repugnet. Quippe secundum istam dispositionem sæpius Mercurium & Venerem ita constitui oporteret, ut Terram inter se & Solem habeant constitutam, quod evenit nunquam est observatum. Dein explicari non possunt phases Veneris experientiæ confirmatæ, quippe quæ comprehensa est augeri & minui lumine suo ut Luna, & plenatum quando supra Solem adscendit, nova verò, quando inter nos, & solem est disposita, cum secundum Ptolemæum supra Solem nunquam adscendet. Ut nunc alia absurdæ taceam, quæ hanc dispositionem comitantur.

V. Itaque videndum utra ex reliquis duabus sit præferenda. Et cum in eo primò sit differentia, quod Tycho loco Solis Terram

ram posuerit, & vicissim Soli Terræ locum assignârit, de eo est disquirendum, utrum Terra circa Solem deferatur inter media inter Venerem & Martem, an verò Sol circa Terram, circumducens secum 5 planetas Mercurium, Venerem, Martem, Iovem & Saturnum. Dein quod Tycho vicissitudinem diei & noctis una cum Ptolemæo fieri statuat per firmamenti motum diurnum quod Terræ conversioni assignat Copernicus, dispiciendum erit, utrum fieri sit consentaneum?

VI. Quandoquidem ergo prolixius de his quæstionibus agere nobis est constitutum, ab ovo, quod ajunt, rem exordiemur, ac examinabimus primò antiquitatem sententiae Copernicanæ & originem, dein statum Controversiæ rectè formabimus per terminorum legitimam explicationem.

VII. Ex Veteribus jam diu ante Pythagoram hanc sententiam Numæ Pomplilio adscribit Plutarchus in Numâ, quem dicit, *templum Vesta rotundum fecisse ad imaginem Universi, inque medio ejus constituisse aeternum ignem, ut solaris ignis symbolum.* Numam autem ante Pythagoram vixisse, testis est Cicero lib. 2. de Oratore: *Et refert à quondam Italia Pythagoreorum fuit, tum cum erat in hac gente magna illa Graecia: ex quo etiam quidam Numam Pomplium*

190 CHRISTOPH. WITTICH.
lium regem nostrum fuisse Pythagoreum fuerunt, qui annis permultis ante fuit quam ipse Pythagoras. Idem in præfatione libri quarti Tusculan. quæstionum ait: Pythagoras fuit in Italia, temporibus iisdem, quibus L. Brutus patriam liberavit. Similiter Livius lib. I. cap. 18. Auctorem doctrinæ ejus (Numæ puta) quia non exstat alius, falso sámium Pythagoram edunt: quem Servio Tullio regnante Roma centum amplius post annos in ultima Italia orâ circa Metapontum Heracleamque & Crotonem juvinum amulantium studia catus habuisse constat.

VIII. Fuerunt autem, teste Laërtio, duo Philosophiæ principia; unum quod à Anaximandro, alterum quod à Pythagoræ fluxit. Anaximandri præceptor fuit Thales, Pythagoræ verò Pherecydes. Appellatumque est id Philosophiæ Genus Ionicum, quod Thales ex Ioniâ fuerit. Hoc autem Italicum, quod illius author Pythagoras in Italia plurimum philosophatus sit. Hæc principia diversa Philosophi secuti, circa hanc sententiam in contrarias partes iverunt.

IX. Ita Aristoteles lib. 2. de cælo c. 11. docet. Εὐτύχεις οἱ τοῖς τὸν Ἰαλίαν, καλέμδροι δὲ Πυθαγόρειοι, λέγοσιν ἐπὶ μὴ γῆς Σεμίσης πῦρ εἶναι φασι, τὸν δὲ γῆν εἰ τὸ αἴσθητον

χρονικών φεροφύλων τοῦτο τὸ μέσον, νύκτα τε
ἡμέραν ποιεῖ. hoc est: *Contra, qui Ita-
liam incolunt, vocanturque Pythagorei, di-
cunt. In medio autem ignem esse inquiunt,
terram autem astrorum unum existentem
circulariter latum circa medium, noctem
diemque facere.* Idem paulo post: *Ἐπὶ δὲ οἴ-
γε Πυθαγόρης ἐπὶ τῷ μάλισται συνοικεῖν
φυλακίσας τὸ κυριατοῦ Θεοῦ παντός, τὸ δὲ μέ-
σον εἶναι τοιότον, ὃ Διὸς φυλακὴ ἀνομάτων,
τὸ τεῖχος τῶν χωρῶν πᾶν. hoc est: Am-
plius autem Pythagorei quidem, propterea
quod maximè id convenit servari, quod est
principalissimum ipsius universi, medium
autem esse tale, quod Iovis carcerem nomi-
nant, hanc habere regionem ignem.*

X. Pythagoras ipse, quamvis tria Vo-
lumina scripserit, teste Laërtio ex Heracli-
to Physico, de Institutione, de Civilitate,
de Natura, tamen quoniam isti libri inter-
ierunt de ejus dogmatibus nonnisi ex Py-
thagoreorum placitis quicquam colligere
licet. Hinc factum, ut Archimedes, libro
de arenæ numero dogmatis hujus inven-
tionem adscribat Aristarcho Samio, quem
tamen probabilius est, id à conterraneo suo
Pythagorā accepisse.

X I. Cæterum qui ex disciplina Pytha-
goræ fuerunt progressi idem dogma cum
suo magistro habuere commune. Hinc de

Phi-

Philolao ita Laërtius. *Opinatur autem omnia harmonia ac necessitate fieri*, terram *juxta primum circulum moveri dicit*. Plutarchus vero de Philolao & aliis Pythagoricis ita lib. 3. de Placitis & decretis Philosophorum inquit: *Cateri* (scilicet Philosophi dicunt) *terram manere*. Philolaus vero Pythagoreus *circum ignem verti obliquo in circulo*, similiter Soli & Luna. Heraclides Ponticus Ecphantus Pythagoreus crient quidem Terram, verum haudquam promovent, rota vero instar cardine suo nixam ab occasu ad exortum circa eam volvi. Cicerro in Lucullo sic de Niceta Syracusio & Platone inquit: *Nicetas Syracusius*, ut ait *Theophrastus*, *calum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia stare censet*. neque prater terram rem ullam in mundo moverit que cum circum axem se summa celeritate convertat & torqueat eadem effici omnia, qua si stante terra calum moveretur, atque hoc etiam Platonem in Timso dicere quidam arbitrantur, sed paulo obscurius. Ita autem legas in Platone. Terram autem altricem nostram circa polum per Universum extensem alligatam, diei noctisque effectricem & custodem esse voluit, nec non primam antiquissimamque Deorum omnium, qui in Calo sunt geniti.

XII. Dogma hoc ipsum superiori seculo

culo suscitavit & illustravit Nicolaus Copernicus, Prutenus, Astronomus insignis, uti clarum ex eruditissimis libris de revolutionibus Cælestium Orbium conscriptis, illique dogmati tanquam fundamento superædificavit explicationem phænomencorum cælestium, quam longè expeditiorem facilioremque reddidit, sublatis infinitis orbibus & Epicyclis à Ptolemæo & Astronomis aliis investitis. Hunc feliciter secuti sunt Mæstlinus, Keplerus, Galilæus de Galilæis, Guilhelmus Gilbertus Anglus, Philippus Lansbergius & alii multi, ut & Clariss. Dn. Antonius Deusingius in sua dissertatione de vero Systemate mundi, quoad motum Terræ diurnum circa suum axem. Novissimè verò Renatus des-Cartes Philosophorum facile primus hanc sententiam ita explicuit, ut difficultates quibus sententia Copernici premebatur sustulerit, ut nos in sequentibus ex eo dabimus demonstratum.

XIII. Ab altera verò parte Philosophi & Astronomi in contrariam iverunt sententiam. Illi nimirum qui Ionicum Philosophiæ genus ab Anaximandro Thaletis discipulo ortum adoptarunt, quales fuerunt Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, Aristoteles ejusque sequaces, Stoici item, Hipparchus & Ptolemæus

194 CHRISTOPH. WITTICH.
omnesque Ptolemaici , uti & Tycho Bra-
hæus , qui ex Ptolemaico & Copernicano
systemate quandam fecit mixturam , uti in
Principio hujus capitatis videre est.

C A P V T I V .

*Termini quæstionum propositarum ex-
plicantur , ostenditur quid Terræ no-
mine veniat , quid itidem per mo-
tum intelligamus.*

I. **T**erræ nomine intelligi potest 1. glo-
bus ille ex Terra & aqua compactus
ab aëre & cælo distinctus. 2. idem globus
una cum illis corporibus, quæ se extendunt
usque ad concavum Lunæ. His autem duo-
bus modis Terram accipi posse & debere
Maimonides part. II. cap. 30. More Ne-
bochim etiam testatur, cuius Verba hic al-
scribo: *Porrò & hoc sciendum tibi , quid
Erez Terra sit Vocabulum homonymum ,
quod usurpatur tūm generaliter tūm spe-
cialiter . Generaliter dicitur de omnibus
iis , qua sunt sub Sphera Luna , hoc est , de
quatuor Elementis . Specialiter dicitur de
uno tantum , & quidem ultimo illorum ,
quod vocatur Terra . Docet nos hoc Scri-
ptura , dum dicit ; Et Terra erat informis
& inanis , & Tenebræ erant super facie
abyssi,*

culo suscitavit & illustravit Nicolaus Copernicus, Prutenus, Astronomus insignis, uti clarum ex eruditissimis libris de revolutionibus Cælestium Orbium conscriptis, illique dogmati tanquam fundamento superædificavit explicationem phænomencorum cælestium, quam longè expeditiorem facilioremque reddidit, sublatis infinitis orbibus & Epicyclis à Ptolemæo & Astronomis aliis inventis. Hunc feliciter secuti sunt Mæstlinus, Keplerus, Galilæus de Galilæis, Gulhelmus Gilbertus Anglus, Philippus Lansbergius & alii multi, ut & Clariss. Dn. Antonius Deusingius in sua dissertatione de vero Systemate mundi, quoad motum Terræ diurnum circa suum axem. Novissimè verò Renatus des-Cartes Philosophorum facile primus hanc sententiam ita explicuit, ut difficultates quibus sententia Copernici premebatur sustulerit, uti nos in sequentibus ex eo dabimus demonstratum.

XIII. Ab altera verò parte Philosophi & Astronomi in contrariam iverunt sententiam. Illi nimirum qui Ionicum Philosophiæ genus ab Anaximandro Thaletis discipulo ortum adoptarunt, quales fuerunt Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, Aristoteles ejusque sequaces, Stoici item, Hipparchus & Ptolemæus

ejus, quod potentia est, quatenus tale est?
 At omnem actionem esse motum, absurdum est: quid enim de Creatione dicas? quid de sanctificatione & aliis actionibus divinis? At dicas: Hanc definitionem esse Motus in Genere, non Motus localis. *Resp.* 1. manere nihilominus, quod sit obscura, & latior definito, atque adeò carcat proprietatibus bonae definitionis. 2. si motus ita generaliter accipiatur nullo modo differet ab actione; quid autem opus est vocabulis uti ambiguis, cum propria sunt in promptu. 3. præsupponitur esse alias Motus species, quod falsum esse prolixè ostendi posset, si præsens ferret institutum.

III. Sed longè clarior est definitio nostri Philosophi, qui Princip. part. II. art. 25. ita Motum definit, quod sit *Translatio unius partis materiae, sive unius corporis ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt, & tanquam quiescentia spectantur in viciniam aliorum.* ex hac enim definitione Natura motus rectè agnosciatur, cum Omissis Antecedentibus & requisitis ad motum, præcisè rationem formalē motus ostendat.

IV. Nec aliam naturam motus reperiemus, dummodo ad rem ipsam attendamus. Simili enim modo August. lib. 2. de Ordine cap. 6. *Cogis nos definire, quid sit move-*

moveri: quod si potes, facias, &c. Quæ cum dicta essent, puer de domo, cui dederamus id negotii eucurrit ad nos, & horam prandii esse nunciavit. Tum ego: Quid sit, inquam, moveri, non definire nos puer iste, sed ipsis oculis cogit ostendere. Eamus igitur, & de isto loco in alium locum transeamus: nam nihil est aliud, nisi fallor, moveri, &c. Simili ferè modo à Keplero motus definitur Epit. Astron. Copernicanæ lib. i. mihi p. 106. Motus est separatio mobilis, quatenus mobile, de loco suo & translatio in locum alium. Sed definitio Philosophi magis perspicua est, quod ex collatione patet & sequenti explicatione, in qua vestigia Philosophi sequemur.

V. Reddit autem Cartesius rationes ob quas motum vocaverit translationem, non vim vel actionem, quæ transfert, quarum prima est, ut ostenderet illum semper esse in mobili, non in movente, quia hæc duo non satis accuratè solent distingui: secunda ratio est, ut planum faceret motum duntaxat esse modum rei mobilis, vel motæ, non rem aliquam subsistentem, sicut figura est modus rei figurata, ac quies rei quiescentis.

VI. Proclives enim admodum esse homines ad confundendum, id quod est in mobili cum eo quod est in movente, actionem tribuendo mobili, cum debeat tribui

moventi, patet 1. ex definitione Aristote-
lis suprà visâ, qui motum per actum defi-
nit. 2. quando vulgariter rebus tribuunt
motum insitum: ita cælis & stellis dicunt
multi motum esse insitum: Sic quando re-
bus gravibus dicunt insitum esse motum
ad tendendum deorsum, levibus ad tenden-
dum sursum, &c. in quibus est manifesta
mobilis cum re movente confusio.

VII. Nec minus vulgare est, motum
concipere tanquam rem aliquam subsisten-
tem, unde illæ definitiones: *Motus est for-
ma in moto impressa*. Scal. exerc. 28. vel ut
alii: *Motus est forma fluens*, aut: *Motus est
forma, qua successivè per partes acquiritur*.
Et inde respectu communicationis motus
facilè nobis talia oboriuntur. 1. in gene-
re, non videtur nobis rem unam posse mo-
vere alteram, nisi aliquid ei communicet.
2. in specie, si corpus A motum impellat
B, ut B quod antea quiescebat, moyca-
tur, vix possumus abstinere, quin pute-
mus corpus A communicare aliquid cor-
pori B, cò quod etiam post separationem
a corpore A corpus B pergit ulterius mo-
veri. 3. existimamus saltem in projectis
aliquem impulsum concipiendum, qui iis à
nostra manu communicatur.

VIII. Sed si ad Cartesii definitionem
& rationem secundam, quam adfert, ani-

mum advertamus, nos facile ex his omnibus extricabimus. Quod enim attinet primum; Non opus est, ut aliquid aliud hic inquiramus praeter ipsam translationem, sed sufficit, si consideremus illam communicari, non aliquid aliud. Sicuti quando ceræ confertur figura quadrata, non opus est, ut aliquid aliud inquiramus praeter istam determinationem extensionis quadratam. Quemadmodum autem, quando in corpus aliquod ex. gr. in ceram alia figura introducitur, eo ipso prior tollitur, ita etiam hic, quando aliud corpus impellitur, eo ipso prius motum suum deperdere debet, vel totaliter vel ex parte, in quantum scilicet communicat. Vnde & ad secundum dubium solutio patet: quando enim corpus A movet corpus B, nihil aliud corpori B communicatur, quam translatio: quippe utraque corpora A & B hic supponi debent in fluido aëre, quia in eo non tam multa motus impedimenta, ut in Terræ superficie: Itaque quam primum movetur seu transfertur corpus B impellente A, semper postea movetur seu transfertur, donec ab alio impediatur. Et hinc facile tertium dubium eximitur, si consideremus impulsum non differre à translatione, nisi hactenus, quod impulsus respectum habeat ad translationem, ut ita impulsus nihil aliud

fit, quam translatio ipsa, quatenus respectum habet ad actionem. In projectis autem nihil aliud fit, quam ut ponantur in fluido, & versus aliquam partem eorum motus à manu determinetur, simul etiam determinato aëre versus candem. Vnde projecta tam diu manent in isto statu motus versus istam partem, ad quam sunt determinata, donec à gravitate deprimantur, atque ita alio versu determinantur. quo facto in Terram descendunt, motumque suum ejus partibus & aëri quoque circumstanti communicant.

I X. Egregie verò author libelli definito & infinito, Anno 1651 Amstelrodami expressi, ostendit, vim istam in corporibus motis præter respectum ad motum, nihil esse, nisi quid imaginarium. Ita enim p. 16. & 17. inquit: *Attendant quo sō (hi nempe qui Vim aliquam præter motum rebus motis tribuunt) ad motum ambulantis in navi, qua celerrimē velo & aqua vehitur in contrariam partem, ad quam ambulans tendit: liquet non cum majori difficultate ambularem in contrariam partem ferri, quam si navis planè quiesceret: at si hic vis aliqua prater illam mutationem situs statuenda esset, que navim impetu perpellet ad lineam, à qua ambulans recedit: procul dubio majori conatu opus esset, & in cassum*

cassum laboraret homo contendendo in contrariam partem ei ad quam navis vehitur. Considerare autem hic oportet, navim non à vento agitatam, sed flumine placido existente à remis tantum impulsam, ne obiecere possis, sentiri aliquam resistentiam venti navem impellentis. Postea verò etiam causam reddit hujus hominum præjudicii, quando inquit: *Cum autem videamus res motas tanta vi & impetu objacentia sibi corpora depellere & comminuere, inde male concluditur vim aliquam ab hac mutatione continua & successivâ situs distinctam esse: cum ipse motus sit, qui per suas impressiones & effectus in anima sese distinguens ab aliis rebus vis atque potentia à nobis vocitetur.* Non itaque vim negamus esse in natura: sed vim illam ipsam mutationem situs esse dicimus, qualem hactenus descripsimus. Hæc adscribere volui tanquam præclarè rem istam declarantia.

X. Ex his patet attentione singulari opus esse, si naturam motus bene intelligere velimus, neque frivolum fuisse Cartesii institutum actionem à motu sollicitè distinguenter, uti Revius & Lentulus opinantur. Ille Stateræ p. 107. hic Novæ sapientiæ p. 290. Vera quidem est distinctio, ut *actio tribuatur motui, quatenus procedit ab agente, & passio quatenus recipitur in*

patiente, uti Clariſſ. Heereboort. in disputatione à Revio citata docet; sed hæc totam rem & difficultatem ad quam Cartesius respexit non exhaustit, neque etiam ab Heereboortio in eum finem est adducta.

XI. Definitionem motus art. 25. traditam & probatam Cartesius art. 26. porrò sic declarat: *Quippe notandum est, magno nos in hoc præjudicio laborare, quod plus actionis ad motum requiri arbitremur, quam ad quietem.* Quid præjudicia sint, & quomodo in nobis formentur satis docuit Cartesius Pp. 1, 71, 72, 73, 74, & vel ipsum nomen ostendit, quod sint judicia à nobis facta ante perceptionem sufficientem, adeoque eo ipso, quatenus talia, erronea. Quando vero dicit, *nos arbitrari plus actionis requiri ad motum, quam ad quietem, in eoque præjudicio laborare,* per actionem intelligit non actionem tantum nostram, sed collectivè quamcunque, ut in eo consistat præjudicium, quod, quia plus actionis nostræ sèpius videmus requiri ad motum, quam ad quietem, proclives simus ad statuendum, in genere plus actionis requiri ad motum, non attendentes plura alia ad motum & quietem concurrere posse, quam nostram actionem, aut nostram actione cessationem. Philosophum autem hic loqui de actione non nostrâ, sed collectivè

Etivè de omni actione ex sequentibus ipsius
Verbis est manifestum, præsertim si atten-
damus ad illa ipsius verba: *fumentes scil.*
actionem pro conatu illo, quo utimur ad
membra nostra, & illorum ope alia corpora
permovenda.

XII. Ad hoc quia non attendit Lentu-
lus, vel attendere noluit, verba Cartesii
art. 26. tali joco, uti ipse dicit, excipit:
Egregium verò inventum, & par illi, aut
ex eo deductum, quod libro de Methodo de
frugibus terra sine labore percipiendis pro-
misit. Inventum inquam: nam in hunc diem
natura indicio plus actionis ad motum,
quam ad quietem requirebatur. Gratulor
ergo jam aurigis, nautis, portitoribus, ta-
bellariis, nunciis, & quicunque iter terrâ
marique conficiunt: non plus laboris. labo-
ris verò? non plus actionis via vel longissi-
ma perficienda impendent, quam si quieti
domi desideant. Ab his fabrorum & o-
mnium Opificum tabernas perlustrabo, ma-
gnam ab iis lato nuntio gratiam iniciurus.
Siquidem & hi si non pedum saltum bra-
chiorum motu viatum quaritabant. Imò si
qua & mentis agitatio, qua sine omni motu
& actione internâ esse nequit, si qua animi
operatio, vel ad virtutem adsequendam la-
boriosâ meditatione institutâ, vel ad eru-
ditionis famam non mendacem acquiren-

dam: omnibus bona mentis Studioſis jam
ſecuris eſſe impero, ac, omni re jam in vado
quiescente in portu navigare, ac, ne navi-
gare quidem, ſed remos inhibere, vela deji-
cere jubeo. Nihilo doctiores fient, nec in bo-
norum Virorum Officio plus opera & navabunt
agendo, quam manibus in tergum rejectis
quiescendo.

XIII. *Reſp.* Quænani quæſo eſt inter
hæc connexio: Prajudicium eſt plus actionis
in genere admotum requiri quam ad
quietem: ſive, Non requiritur plus actionis
in genere & collective ſumtæ ad motum,
quam ad quietem: Ergo etiam non plus a-
ctionis noſtræ. Si quis ex illo dicto Poëtæ:
*Non minor eſt Virtus, quam quarere parta
tueri*, in Politicis applicato ad Principem,
quod non minorem curam debeat adhi-
bere ad conservandum ſuum regnum, quam
adhibuit ad illud conſequendum, inforret.
Ergò debere Principem etiam postquam
Regnum eſt paratum exercitum ducere in
hostem, caſtella expugnare, &c. nonne
Lentulus Politices Professor iſum argue-
ret ex Topicis, quod malè argumentare-
tur à genere ad ſpeciem affirmativè? Qua-
re ergo & hīc ad illum Canonem non at-
tendit? Indignabuntur ergo tibi, Dn. Len-
tule, aurigæ, naute, portitores, tabellarii,
puncii, & quicunque iter terrâ marique
confi-

conficiunt, quod tuo nuncio, læto quidem, sed vano, & ex prævè intellectis Cartesii Verbis hausto, ipsos deceperis. Quod si ab his fabrorum & omnium Opificum tabernas perlustraveris, vide ne malleos, asacias, &c. instrumenta sua capiti tuo impingant, quod fidem tuo nuntio habentes operas intermiserint, & ita non levem jacturam rei familiaris fuerint perpepsi. Nec majorem gratiam reportabis à bonæ mentis Studio-sis, qui à te illusi, omnem imposterum impudent operam, ut Satyricum Calamum contra te stringentes saltem famam non mendacem styli acuti & perpoliti reportent, ut reciproco joco tecum ludam.

XIV. Pergit Cartesius & hujus præjudicij Causam & fontem aperit, ut eo cognito tanto melius illud vitare possimus. *Hocque ideo, inquit, nobis ab ineunte astate persuasimus, quod corpus nostrum soleat moveri à nostra voluntate, cuius intimè consciis sumus, & quiescere ex hoc solo, quod Terra adhæreat per gravitatem, cuius vim non sentimus.* Et quidem quia ista gravitas, aliaque plures causa à nobis non animadversa, motibus quos in membris nostris cire volumus, resistunt, efficiuntque, ut fatigemur, putamus majore actione, sive maiore vi opus esse ad motum ciendum, quam ad illum sistendum, sumentes scil. actionem

pro conatu illo , quo utimur ad membra nostra , & illorum ope alia corpora permovenda. His ostendit Præjudicium illud ita formari , inque eo consistere , quod motus membrorum nostrorum simus consciī , non item quietis , atque ita ad motum requiri actionem perspectum habeamus , ad quietem verò æquè necessariam esse non sentiamus. Cujus rei dux sunt causæ : prior est , quod motus sæpè pendeat à nostra voluntate , cujus intimè consciī sumus : (velle enim nos scimus , eo ipso dum volumus , quia alias quando volumus non possemus cum veritate dicere , Ego volo ; nisi hoc sciremus : testimonium quippe externum ab interno dissentiret :) de quiete verò Corporis nostri judicamus ex sensus perceptione , ita concludentes : Ego ad quietem corporis mei nullam vim , nullam actionis gravitatem extra me sentio , percipio : Ergo nulla adest ; malè sensus nostros constituentes regulam judicandi de iis quæ existunt , vel non existunt. Posterior causa est , quia gravitas membrorum nostrorum resistit eorum motui , quietem verò promovet : hinc fit , ut sentiamus quidem motum membrorum nostrorum propter istam resistentiam , quietem verò propter ejus absentiam non ita sentire queamus.

X V. Ad hæc Lentulus notat p. 291.

Verum

Verum remoto joco, quibus argumentis opinionem suam C. probatam eat, perpendamus. I. *præjudicio nos magno antehac laborasse ait: Itane omnia in quibus vel ratio nobiscum facit, vel populorum consensus, vel integrum sensuum testimonium, si id à pueritia annis neverimus præjudicij judicio damnandum est? Male de scientiarum jure agitur, si in Novatorum quamvis famosorum gratiam communes animi notiones, vel omnium gentium tam barbarum, quam eruditarum judicia, præjudicij insimulata deponere cogamur.*

XVI. *Resp.* Quid sint præjudicia indicatum est superius. Non dicit Cartesius, ea esse præjudicia, in quibus ratio nobiscum facit, vel populorum consensus, vel integrum sensuum testimonium, sed ea effata, de quibus judicavimus, antequam perceperimus, vel ritè examinaverimus. Possunt itaque etiam ea esse præjudicia, in quibus ratio nobiscum facit vel populorum consensus, vel integrum sensuum testimonium, si nempe ea non propter has causas suscepimus, sed tantum credulâ voluntate acceptavimus. Manentque in nobis, tanquam præjudicia, donec per legitimum examen resumamus & assentiamur ob rationes manifestas. Fuerunt ergo antea quidem vera, sed nos ea nondum talia cognoveramus;

fuc-

fuerunt vera materialiter, at posteà vera evadunt formaliter & nobis ipsis. Absit vero, ut communes animi notiones, vel omnium gentium, tam barbararum quam eruditatum judicia præjudicium insimulemus. Imò hoc tuum, Lentule, est præjudicium, dum judicas id, quod nec ex Cartesio, nec ex ejus discipulis audivisti.

XVII. Porrò non sufficiebat Cartesio ostendisse morbum, verùm etiam tollere conatur, medicamen nobis monstrando, dum sic inquit: *Quod tamen præjudicium facile exuemus, si consideremus, non modo conatu nobis opus esse, ad movenda corpora externa, sed sapè etiam ad eorum motus sistendos, cum à gravitate aliave causa non sustuntur.* Ut exempli gratia, non majori uitimur actione ad navigium in aqua stagnante quiescens impellendum, quam ad idem, cum moveretur, subito retinendum. Vel certè non multò majori; hinc enim demenda est aqua ab ea sublevata gravitas, & ejusdem lensor, à quibus paulatim sitti posset. Præjudicium fuerat: Ad motum plus actionis requiritur, quam ad quietem, idque ex eo, quia sàpius circa motum actionem experti sumus, non verò circa quietem, malè concludentes: Vbi nullam sentimus actionem, ibi nulla est: Atqui ad quietem procurandam nullam sentimus actionem.

actionem: Ergò nulla ibi est. Hic Cartesius quidem principaliter & primariò negat Majorem, quia Pp. 1. art. 71. ostenderat malè ita concludi: Ego nihil ibi video, sentio percipio: Ergò nihil ibi est; adeoque quamvis gravitatis vim & actionem non sentiamus, non tamen aliquam esse debebat negari. Non enim omnia quæ sunt, sensibus nostris percipere possumus: Sic enim nec Deum, nec angelos, nec animas nostras, nec multa minuta corpuscula, quæ sensum nostrum effugiunt, existere esset concedendum. Dein negat quoque minorēm, ostendendo etiam sœpè fieri, ut requiri sentiamus conatum ad quietem corporibus nostris conciliandam, idque declarat exemplo à navigio desumto. Illud quidem sibi relictum ad quietem perducitur, concurrente tum lentore, tum etiam gravitate ipsius aquæ, quæ à lateribus navis est sublevata, altiusque quam reliqua supra eam congregata navem premit, & ejus motui resistit, ut ita ab hac navis sustenda esset, nisi denuò remis propelleretur. Sed si ipsi soli navem ad quietem velimus reducere, quod facimus subitò eam retinendo, (nisi enim hoc fiat, statim habebimus causas alias adjuvantes,) experiemur non multò minori conatu nobis opus esse, imò majori, quam si illud quiescens velimus movere. Possu-

mus

mus aliud ad hanc rem adducere exemplum, desumtum à nostris musculis, quibus membra nostra moventur & quiescunt. Docent Anatomici, talem esse musculorum conformatiōnem, ut quam plurimum duo ubique sint musculi sibi invicem oppositi, ita ut musculo, qui flectit articulum opponatur extendens, & ei qui movet partem in anteriora opponatur qui in posteriora retrahit, atque ita deinceps. Quando itaque duo musculi oppositi simul agunt, & quidem æqualiter, oriri docent motum muscularum tonicum, quo fit, ut pars in eodem situm retineatur & quiescat, ad quam quietem producendam actionem muscularum requiri ajunt.

XIX. His benè perceptis spontè cadunt Lentuli Objectiones contra hæc Philosophi Verba, ita enim is p. 292. 2. *Sapè ad corporum externorum motus sistendos conatu aliquo nobis opus esse* (sc. ait Cartesius) *Quid tum? ergo semper ad omnia corpora & sistenda, & in quiete retinenda eodem conatu opus est, quo ad ciendum & continuandum motum?* pudet me ineptiarum & tamen à tanto Viro pro oraculis hac traduntur & acceptantur. 3. *Exemplo utitur navigii in aqua stagnante ad quietem permoti. quod planè contra ipsum militat: nisi & ratio nos fugit, & oculorum sensus sapè*

sapè decepit: nec eum multum juvit adverbium s v b i t o callidè insertum. non enim de omni subitanea quiete, sed de quaunque & quidem continuatâ, ut de motu continuo quæstio est, aut esse debet, si pari hic rationandi modo agimus.

XIX. Resp. i. Quò tendat Cartesius, quando docet *sape ad corporum externorum motus sistendos conatu aliquo nobis opus esse*, ex art. 17. satis patet. Ad Minorem illam infringendam unica instantia sufficiebat. Noluit autem neque debuit probare, semper codèm conatu *nostro opus esse ad corpora sistenda & in quiete retinenda*, imò hoc falsum esse satis novit: neque etiam hic intendit demonstrare tantùm actionis ad quietem requiri, quantum ad motum, quæ est ejus thesīs; sed contentus fuit antithesin hominum præjudiciis occupatorum infringere: thesin verò suam confirmat Pp. part. IIII. & IV. ubi ex variis exemplis motus & quietis liquet, quod tanta actio ad quietem requiratur, quanta ad procurandum motum. Itaque id quod de Ineptiis Cartesii Lentulus oggerit, totum evanescit. 2. quomodo exemplum navigii Cartesio inserviat suprà est demonstratum. Vocabulam s v b i t o etiam non callidè vel fraudulenter fuisse insertam, sed ad scopum Autoris necessariò requisitam, est demonstratum:

stratum: Ut enim posset nostra actio quietem navigio conciliare, debebat id subiù fieri, ne ab aliis causis adjuvaretur, quod tamen vix evitari posse Cartesius ostendit, quando ait, demendam esse aquæ à navigio sublevatæ gravitatem, & lentorem à quibus paulatim sisti posset. Hinc tamen non putem Lentulum rationem fugere & oculorum sensum ipsum decepisse, nisi, ut lenissime dicam, non satis accurate attendo illam à se fugaverit.

XX. Pergit Cartesius definitionem suam ulterius diducere & explicare: ita enim art. 27. *Cum autem hic non agatur de illa actione, qua intelligitur esse in movente, vel in eo, qui motum sifit, sed de sola translatione ac translationis absentia, sive quiete; manifestum est, hanc translationem extra corpus motum esse non posse, atque hoc corpus alio modo se habere cum transfertur; & alio cum non transfertur, sive cum quiescit: adeo ut motus & quies nihil aliud in eo sint, quam diversi modi. Horum Verborum iste est sensus. Cum autem hic non agatur] Propterea enim definiuerat motum per translationem, ut ostenderet actionem non esse de ejus formaliatione, ut à nobis plenius est ostensum. de illa actione qua intelligitur esse in movente]* At objiciat aliquis: Actio non est

in

in agente, sed ab illo, quatenus verò terminatur in effecto, passio vocatur. *Resp.* Actio potest dici ab agente, & in agente diverso respectu, uti patet ex actionibus immanentibus, si tamen illæ sint actiones dicendæ. 2. in movente esse actionem aliquam accurata attentio docebit. nonne enim, si lapidem moves actio in te existit, vibratio brachii, muscularum extensiones, spirituum influxus & similia? *manifestum est*] actio enim illa, quæ est in movente extra corpus motum esse potest, & est in jactu lapidis; sed translatio ipsa non potest, cum sit mobilis, non moventis. *atque hoc corpus alio modo*] quemadmodum enim figurarum variatio corpus cui insunt, variat, ut cera ex. gr. aliter se habeat, quando est quadrata, aliter, quando rotunda existit, aliam enim atque aliam exteriorum partium dispositionem obtinet, aliamque superficie terminationem: ita etiam motus & quies corporibus aliquam variationem conferunt, quippe motus aliud respectum & dispositionem corpori moto ad corpora circumstantia confert, quam quies. *adeò ut motus & quies*] ad modum enim duo requiruntur 1. ut insit ei, cuius est modus. 2. ut illud variet & alio modo se habere faciat, quæ duo motui & quieti competere hæc tenus est ostensum.

XXI. Art. 28. declarat Cartesius quare dixerit, translationem fieri ex vicinia corporum immediatè contiguorum in Viciniam aliorum, non verò, translationem fieri ex uno loco in aliud. *quia* (inquit) *ut supra explicui art. 14. & 15. loci acceptio varia est ac pendet à nostra cogitatione: sed cum per motum intelligimus eam translationem, qua sit ex Vicinia corporum contiguorum, quoniam una tantum Corpora eodem temporis momento ejusdem mobilis contigua esse possunt, non possumus isti mobili plures motus eodem tempore tribuere, sed unum tantum.* Quæ Verba sic explico. *quia loci acceptio varia est*] aliquando enim designat spatiū, quod sibi corpus quodlibet sua magnitudine determinat, & vocatur locus internus; aliquando verò situm certum inter alia corpora, appellaturque locus externus; Ut ita dicatur corpus in alterius locum succedere, dummodo eundem situm inter corpora circumjacentia obtineat, quem prius, in cuius locum dicitur successisse. sed non dicitur corpus idem spatiū occupare cum altero, nisi sit ejusdem magnitudinis. Hinc apparet definitiones Augustini & Kepleri, quas tertio articulo adduximus, veras quidem esse, sed quia per vocem ambiguam loci fuerunt formatæ, minus esse claras hæc definitio-

finitione Philosophi. *quoniam una tantum corpora*] id est, à qualibet superficie totius parte circumcirca, non nisi unum tantum corpus potest esse contiguum, ab hac parte hoc, ab alia parte aliud. Dicit autem *una corpora non unum*, quia plura sunt, quæ rem illam quæ movetur contingunt. Impossibile enim est, ut motus fiat, nisi in circulum, si uno continuo corpore res continetur. *non possumus isti mobili plures motus*] quia eodem tempore non potest, nisi à proximiè circumjacentibus corporibus recedere, quæ illud immediatè contingunt.

XXII. Porro ostendit Cartesius art. 29. quare dixerit, translationem illam fieri ex viciniâ, non quorumlibet corporum contiguorum, sed corum duntaxat, quæ tanquam quiescentia spectantur. *Ipsa enim*, inquit, *translatio est reciproca, nec potest intelligi, corpus A B transferri ex vicinia corporis C D, quin simul etiam intelligatur corpus C D transferri ex vicinia corporis A B: Ac planè eadem vis & actio requiritur ex una parte atque ex altera. Quapropter si omnino propriam, & non ad aliud relatam naturam motui tribuere vellemus, cum duo corpora contigua, unum in unam aliud in aliam partem transferuntur, sic que à se mutuo separantur, tantundem mo-*

tus

tus in uno quam in altero esse diceremus. Sed hoc à communi loquendi usu nimium abhorreret ; cum enim consueti simus stare in terra , eamque ut quiescentem considerare quamvis aliquas ejus partes aliis minoribus corporibus contiguas, ab eorum vicinia transferri videamus, non tamen ipsam idcirco moveri putamus . Hæc verba ita explicanda . *Ipsa enim translatio est reciproca*] scilicet in rei Veritate , secundum illas superficies , secundum quas sit translatio . Supponitur autem in Exemplo à Cartesio allato 1. quod sit immediata contiguitas duorum corporum A B & C D . 2. quod illa corpora sint æqualia 3. habeant superficies congruentes & 4. libera sint ab omnibus aliis & à nullis corporibus impedita . Illam autem translationem esse reciprocam , etiam colligi potest ex motibus apparentibus Planetarum , quos Astronomi solent vocare veros , quia retrocessisse intelliguntur à vicinia corporum immediatè contiguorum . *Ac planè eadem vis*] non quidem terminatur ista vis & actio ad utrumque corpus , sed ad quodcumque terminetur , cum supponantur esse æqualia , non requiretur major vis , quæ terminetur ad corpus A B , quam quæ terminetur ad corpus C D , & ad quodcumque corpus ex his duobus actio terminetur ,

semper

semper erit eadem translatio. & non ad aliud relatum] nempè, si planè non attendamus ad actionem vel vim moventem, sed meram translationem spectemus, illamque solam pro motu accipiamus & habeamus, uti haberi debet, ut patet ex antecedentibus, manifestum erit tantum esse translationis in uno corpore, quantum in altero, si duo corpora à se mutuo transferantur, adeoque etiam tantudem motus in utroque. Sed hoc à communi usuloquendi] hic usus loquendi multum obest indagationi Veritatis, & causa est errorum multorum, uti à Philosopho ostenditur Pp. I. art. 74. Cum enim vulgus invenerit voces, qui non habuit veram cognitionem rerum, sed præjudiciis infantiae obscuratam, voces ad infantiae præjudicia accommodavit. Hinc est, quod Comenius in Viâ Lucis optat, dari aliquam Linguam universalem, quæ sit rebus accommodata, earumque naturam commodè exprimat, quia enim dum rebus nomina non per rerum naturam imposita sunt, neque sermonis usu rerum deteguntur, fundamenta & harmonia mutua sit, ut quoties de rebus controversia incidit, ultrò citroque contendentes, nihil nisi Verba Verbis immisceant, Verba sunt Comenii. Saltē quia vix sperandum, ut talis eruditorum consensus sit futurus ad talis Linguae

218 CHRISTOPH. WITTICH.
constitutionem, rebus ita stantibus, & hominibus variè distractis, nisi specialis gratia Dei accedat, loquendum est cum vulgo, sed sentiendum cum eruditis. Quia itaque, ut ad rem redeamus, non consuevit vulgus tam accurate loqui de motu, ut assignet eum unicuique corpori, quod transfertur è vicinia corporis contigui, sive actio moventis ad illud terminetur, sive non, Philosophus illum modum loquendi hīc vult sequi, ut eī tantum corpori motum tribuat, ad quod actio moventis terminatur. *eamque ut quiescentem considerare*] quia nos sumus Terræ conjuncti, quamvis deferaatur, ut in sequentibus ostendetur, eam solemus respectu nostræ superēam ambulationis ut quiescentem spectare, quemadmodum is, qui cum navi circumfertur, respectu suæ obambulationis in illa, eam ut quiescentem considerat.

XXXIII. Tandem Philosophus art. 30. rationē reddit, quare hoc in negotio modus loquendi vulgaris sit retinendus. *Hujusque rei, ait, præcipua ratio est, quod motus intelligatur esse totius corporis quod movetur, nec possit ita intelligi totius Terra ob translationem quarundam ejus partium, ex vicinia minorum corporum, quibus consignata sunt; quoniam sapè plures ejusmodi translationes sibi mutuò contrarias, in ipsa licet*

Licet advertere. esse totius corporis quod movetur] id est, secundum omnem superficiem circumcirca è viciniâ omnium Corporum immediate contiguorum. Terra verò ex eo solo, quod quædam ejus partes concipientur translatæ esse è vicinia corporum immediate contiguorum in viciniam aliorum, quia interim aliæ partes propterea non transferuntur, sed vicinitatem suam retinent cum aliis corporibus, non dicetur moveri. *sibi mutuò contrarias*] sic enim diceretur uno eodemque momento transferri respectu horum corporum, in Ortum, respectu aliorum in Occasum; quod si iterum ad alia atque alia relationem instituas moveri etiam dices, & ad Meridiem & ad Septentrionem.

XXIV. Atque ita, quid Motus propriè loquendo sit, didicimus. Sed solet aliquando Motus vocabulum latius usurpari, unde nata est distinctio Motus in Communem & Proprium. Proprius est is, de quo egimus, quando nempe corpus aliquod transfertur è vicinia corporum immediate contiguorum. Communis verò est, cum corpus tanquam pars alterius vel alteri conjunctum unâ cum illo circumfertur, etiamsi illud propriè non moveatur, nec recedat à corporibus immediatè contiguis, qui Motus Delatio vocatur. Talis

220 CHRISTOPH. WITTICH.
motus est nautæ in navi, aut potius hominum in inferiori navis sedentium, qui à navi dicuntur deferri. Hactenus ergo terminos quæstionum propositarum consideravimus, prolixius de Motu agentes, partim quod ejus natura vulgo non ita sit nota, partim quia sequentes Cartesii Motus explicationem necesse fuit, ut omne quod obscuritatem aliquam continere videretur, & Objectionibus vel fuerit impetum, vel saltem impeti potuerit, elucidaremus.

C A P V T V.

Demonstratur, Terram deferri circa Solēm annuā delatione, & circa axem suum diurnā.

I. **T**erminis ita explicatis nunc ad determinationem quæstionum Cap. IIII. art. 5. propositarum accedimus. Atque pro diversâ acceptione Subjecti & Prædicati, dicimus 1. Si Terra accipiatur strictè, prout cum aquâ unum globum constituit, & distinguitur ab aëre & aliis corporibus, ei nullum Motum propriè acceptum tribuendum, sique eam Motu proprio moveri negamus. 2. Sed non negamus Motum ei sic acceptæ tribui posse Communem sive Delationem, quæ non nisi im-

pro-

propriè Motus vocari potest: imò asserimus, eam sic una cum Lunâ à materia cælesti ambiente deferri circa Solem delatione annuâ, itidemque singulis diebus circa axem suum convolvi. 3. Quod si verò Terra accipiatur latè pro complexu omnium corporum usque ad Lunam, neque sic eam proprie moveri asserimus, quia materia quæ illam defert, tum delatione annuâ, tum diurnâ, nunquam tota simul ab illa recedit.

II. His ita constitutis patet à Cartesio & nobis, qui hîc eum præcūntem sequimur multò minus Motus Terræ tribui, quam vel Tycho vel Ptolemæus assignaverit, quos inter se quoad motum diurnum convenire art. 5. cap. tertii vidimus. Illi enim aërem vicinum unâ cum Cælo à Terra separari statuerunt, vel saltem Cælum ab aëre subjacente. Cum autem omnis translatio sit reciproca, ut præcedenti capite est demonstratum, tantum motus Terræ vel ab aëre vicino separatæ, vel unâ cum aëre ambiente à proximo Cælo revulsæ, tribuerunt atque ipsi Cælo. At Cartesius statuit Terram à Materia cælesti ambiente totâ simul nunquam recedere: Ergò multò minus ei Motus assignat, quam Tycho aut Ptolemæus. Quod si Lentulus naturam veri motus & propriæ sic dicti, ejusque differ-

rentiam à Motu Communi, hoc est, Delatione mente perspicaci considerasset, nullam in verbis Cartesii contradictionem esse, videre potuisset. Videamus tamen quomodo p. 304. Novæ Sapientiæ Cartelium arguere conetur. *Quomodo omnem motum Terra detracturus es, & nihilominus eam pro stellâ erranti habebis? Tecum igitur te committo, à te ipso pugnâ plus quam Cadma consumendum.* Tirones tamen monitos hic velim, non ex animi sententiâ motum Terra ab eo detrahi, nec nudam hic hypothefin foveri: repugnant aperta in contrarium assertiones: repugnat aseclarum ejus explicatio. Resp. Reverâ motum Terræ non competere satis ut puto patebit lectribus ex dictis hoc & præcedente capite, inde autem nihilominus delationem posse ei tribui, etiam conspicuum esse puto, & reverâ tribuendam in sequentibus demonstrabimus.

III. Ut ergo id aggrediamur, quid nobis incumbat probandum consideremus, nimirum 1. Terram deferri circa Solem à Materia cœlesti ambiente delatione annua 2. Eandem unoquoque *νυχθημέρα* converti circa suum axem. Ad hoc præstandum non utar argumentis à Circulorum, Orbium, Epicyclorum per Copernici Systema ejectione & faciliiori explicatione Astronomica motus

motus corporum cælestium defumtis. Quamvis enim hæc circulorum multitudo confundat intellectum, & simplicius semper sit præferendum composito, tamen non necesse est, ut fiat per talem systematis mutationem, sed præstari potest per plurimum circulorum ad pauciores reductionem, uti hoc egregiè est præstitum à Clarissimo Deusingio in suo tractatu de vero Systemate mundi, quo magnam lucem, tum Copernicano, tum etiam Tychoniano systemati intulit. Neque utar argumentis, à proportione & harmoniâ defumtis, quia harmoniæ non sunt in rebus præsupponendæ, ut ex illarum hypothesi aliquid concludas, sed tum demum, cum in rebus fuerint inventæ, agnoscendæ & admirandæ.

IV. Ad istum censum argumentorum imbecillum etiam refero defumtum argumentum à nimia celeritate Primi Mobilis, quod tamen tantum non pro Achilleo à Copernicanis haberi solet. Raptus firmamenti, quem statuunt Ptolemaici & Tychoniani, fieri debet secundum Tychonianam computationem, ut stella fixa motu horario absolvat millaria 3153333 & uno scrupulo secundo sive temporis momento millaria circiter 26277. Sed tam celerem motum dicunt esse mente imperceptibilem adeoque impossibilem. At mihi vide-

tur istud argumentum esse ejusdem Com-
matis, cuius est Tychonianorum contra
Copernicum à nimia altitudine stellarum
fixarum & nimiâ magnitudine Cæli desum-
tum, quâ fiat, ut Orbis magnus in quo Ter-
ra defertur debeat habere ad Cælum ratio-
nem puncti insensibilis, de quo argumento
suo loco videbimus. Quanquam enim ne-
queamus distinctè in particulari percipere
tantam celeritatem motus, nec imagina-
tione comprehendere, possumus tamen in
genere facile intelligere, quod motus ve-
locitas possit augeri in infinitum, ita ut
adhuc infinites velocior possit cogitari &
dari. Est enim eadem ipsius ratio, quæ ma-
gnitudinis, quæ in infinitum augeri potest.
Quod si cogitemus Terram cum firma-
mento esse unum aliquod continuum cor-
pus, eamque ponamus ita moveri à Deo, ut
24 horis circumvolutionem suam absolvat,
rapiet certè illa secum eodem tempo-
re convexam Firmamenti, cujuscunque
eam amplitudinis supponamus, ut punctum
aliquod in eâ scrupulò secundo possit ab-
solvere millaria 26277, imò multò plura,
prout amplitudinem sphæræ istius suppo-
suerimus majorem. Vel finge rotam exten-
sam usque ad stellas fixas vel ulterius etiam;
eamque moveri suppone, debebunt necel-
sariò eodem tempore quo partes axi proxi-

mæ circuitum suum absolvunt, id etiam præstare remotæ. Pone ergo partes axi proximas horarum 24 spatio circumvolvi: Ergo partes remotissimæ eodem tempore circuitum suum absolvunt, adeoque confident singulis scrupulis secundis milliaria 26277 vel etiam plura, si quidem amplitudinem majorem supposueris. Quandoquidem ergo illa celeritas Motus in corporibus continuis non est intellectu imperceptibilis, constitue nunc, post impetum impressum, separari vel firmamentum à Terra, vel partem rotæ axi proximam, à remotissima, eadem utique celeritas poterit permanere.

V. Sed ad obtinendum institutum utar argumento demonstrativo & evidentissimo ex nostro Philosopho desumpto, illudque tantâ quantâ potero brevitate methodo Mathematicâ Syntheticâ per propositiones distinctas proponam. Lectores tamen rogatos volo, ut ipsum Philosophum adeant & in primis Part. II. & III. Principiorum diligenter & attentè pervolvant, ibi accurate & Methodo analyticâ demonstrata inventuros omnia ea quæ h̄c breviter à me proponuntur. Interim ad Propositiones sequentes attendant velim, quarum priores ex Part. II. Pp. desumptæ sunt.

PRIMA PROPOSITIO.

Omnium mundi corporum una & eadem est materia art. 22. Id exinde patet, quia extensio in longum latum & profundum in omnibus reperitur. At nihil ad corporum naturam præter extensionem istiusmodi requiri demonstravit Cartesius, tum in Medit. secundâ, tum etiam art. 11. Princip. 11. ejusque demonstratio in eo consistit, quod omnia quæ corpori tribui solent ab eo possint tolli, ejus naturâ integra manente, extensio verò non ullo modo tolli queat.

PROPOSITIO II.

Vacuum dari non potest. Quia contradictionem implicat. Quodcunque enim fingas aut voces vacuum, cum ei semper extensionem videoas esse tribuendam, reipsa tale non concipis, nec concipere potes, adeoque nec tale esse judicare debes, quia iudicium perceptioni conforme esse debet. Quia autem extensionem ei attribuis, eo ipso totam corporis naturam ei assignas (per prop. 1.) & sic quod vacuum vocas, reipsa corpus esse ostendis.

PROPOSITIO III.

Rarefactio non sit, nisi quando corpora quedam

quadam poros alterius corporis ingrediuntur eaque diducunt: Condensatio contra, quando corpora ex poris alicujus corporis recedunt, ut intervalla ista imminuantur vel plane tollantur. art. 6. Non potest enim cognosci, quomodo nova extensio accedat sine novæ substantiæ corporeæ additamento; ubicunque enim extensionem ponis, ibi corpus te ponere necesse est, & vice versa (ex prop. i.)

PROPOSITIO IV.

Omne corpus quantumvis parvum in infinitum potest dividiri. art. 20. Quia nulla pars corporis potest esse tam parva, quin habeat extensionem: secus enim corporeæ esse desineret, & vel in nihilum abiret, vel in rei spiritualis sive immaterialis naturam mutaretur, quod est impossibile. Omne autem extensum, cum hoc ipso habeat longitudinem, latitudinem & profunditatem, iterum minui potest.

PROPOSITIO V.

Quocunque corpore moto semper integer ambitus corporum simul movetur. art. 33. Cum enim vacuum non detur (per prop. 2.) non potest ullum corpus moveri, nisi aliud corpus ante se protrudat, nec hoc, nisi iterum aliud, & sic consequenter. Non autem

datur locus, quò recedat corpus ultimum, nisi quem derelinquere conatur primum, quo factum penultimum in locum ultimi succedit & sic porrò. Itaque quocunque moto corpore semper integer ambitus sive circulus corporum simul movetur.

PROPOSITIO VI.

In hoc motu circulari omnes locorum in-equalitates in aequali motuum celeritate de-bent compensari. art. 33. Quandoquidem enim vacuum dari non potest (per prop. 2.) ideo necessariò minor a corpora citius trans-eunt, ubi majora simul non possunt, vel et-iam unum aut duo majora corpora reliqua motu prævenire debent. Et quia se invicem premunt, alterutri major vis ad motum celerem communicatur, ei nempe, quod ad motum aptissimè est dispositum.

PROPOSITIO VII.

Deus primaria est motus causa, eandem-que semper motus quantitatem quam semel creavit in universo conservat. art. 36. Prius facile quivis concedet, qui attendet ad Dei perfectionem, à qua oritur & omnia ab ipso solo independente dependeant. Nec poste-rius etiam facile quis negabit, qui noverit, conservationem nihil aliud esse quam con-tinuatam creationem, simulque ad Dei constan-

constantiam animum suum adjecerit, quam cum in operando semper exprimere cogitandum, donec mutatio aliqua ex effectibus evidenter cognoscatur.

PROPOSITIO VIII.

Vnaqueque res, quantum in ipsa est, semper manet in eodem statu, sicque quod semel movetur semper moveri pergit. art. 37.
 Hæc propositio videtur naturâ nota esse, neque demonstratione indigere, sed tantum hâc cautione, nisi ab alio ex illo statu deturbetur, vel in motu impediatur. Quare enim moveri cessaret, si nulla sit causa quæ motum impedit?

PROPOSITIO IX.

Omnis motus ex se ipso est rectus; & ideo quæ circulariter mouentur tendunt semper, ut recedant à centro sui circuli, quem describunt, idque obtinent, nisi ab aliis corporibus impedianter. art. 39. Cum enim Deus motus sit primaria causa (per propos. 7.) ex simplicitate Dei colligere licet, talem inditurum fuisse, qui maximè sit simplex, qualis solus est rectus. Ipsa experientia etiam hanc Propositionem confirmat. Ita enim lapis in fundâ circumrotatus in quavis parte circuli, etiam superiori (ne dicas id à

230 CHRISTOPH. WITTICH.
gravitate pendere) tendit semper, ut à ma-
nu secundum lineam rectam recedat.

PROPOSITIO X.

Corpus alteri fortiori occurrendo, quod propellere non potest, nihil amittit de suo motu, sed tantum determinationem aliam accipit: occurrendo vero minus forti, tantum amittit, quantum in illud transfert. art. 40. Nulla enim ratio est, cur amitteret, quia alteri non communicat, sed manet in isto suo statu motus (per Propos. 8.) Tantum etiam amittere, quantum transfert, exinde cognoscitur, quia non potest retinere illud, quod alteri communicavit.

PROPOSITIO XI.

*Omne fluidum corpus est divisum in mul-
tas particulas exiguae, motibus à se mutuo
diversis agitatas.* art. 54. Hoc enim vo-
camus corpus fluidum, quod facilè cedit
alteri corpori motu. At cum motus mo-
tui non sit contrarius, quies vero sit; facilè
percipitur, id corpus quod jam in motu est,
facilius cedere alteri corpori, quam illud
quod quiescit. Ergo quantò minus quiescit,
tantò facilius cedit, quod fieri manifestum
est, si constet particulis exiguis, motibus à
se mutuo diversis agitatis.

PRO-

PROPOSITIO XII.

Corpus durum in fluido collocatum deferatur à fluido versus eam partem, ad quam ipsum corpus fluidum tendit. art. 61. Vel enim imponetur quiescens, & sic (per propos. 10.) facile motum accipiet à fluido, quod totum simul versus aliquam partem tendit, quo ipso fluidum illud totum simul fortius erit duro quocunque: Vel imponeatur cum impetu tendente aliorum, quam fluidum, & sic iterum, cum totum fluidum sit fortius, determinationem accipiet versus eam partem ad quam fluidum fertur (per eandem prop. 10.) Vel denique imponetur, ut motus duri determinetur versus eam partem ad quam fluidum fertur & sic tanto facilius ab eo poterit deferri.

VI. His propositionibus ex lib. 2. Princip. ita collectis, nunc ex III. libro quasdam ponimus Hypotheses, quibus hæc præmittimus. Certum est res longè melius cognosci, si considerentur prout fieri possint ac debeant, si paulatim orientur, quam si tantum, ut factæ & absolutæ considerentur. Hoc à Cartesio art. 45. Princip. 11. aliquot exemplis ostenditur, & multò pluribus declarari posset, nisi per se esset clarum. Itaque si corporum præcipuorum à Deo in mundo collocatorum naturam

turam & attributa velimus cognoscere, necessariò ea, prout paulatim oriri potuerint ac debuerint, si Deus ipsa paulatim oriri voluisset, prout eum potuisse facile percipimus, consideranda. Id facimus per sequentes Hypotheses, quas Cartesius tradit art. 46.

HYPOTHESIS I.

Deus materiam illam, ex qua mundus adspectabilis est factus, unam & eandem omnium corporum existentem (per prop. 1.) divisit in varias particulas, ut ita corpus fluidum constituerent (per prop. 11.) Necessariò enim requirebatur divisio, ut separatim à se invicem hæ particulæ moveri possent, atque ita quæ per motum oriuntur proprietates esse possent. An verò æquales, an inæquales supponuntur istæ particulæ, parum refert, quia qualiscunque figuræ sint, & quantæcunque parvitatis (dummodo ea tanta sit, ut corpus fluidum componant) semper idem secundùm leges naturæ sequetur, ut & Philosophus monet art. 47. Sed probabilius tamen est eas fuisse æquales, quia magis æqualitas & ordo, Deo convenire videtur.

HYPOTHESIS II.

Deus istam materiam ita divisam movit,

vit, tantundemque motus indidit, quantum jam in mundo reperitur. Hoc requirebatur si distincta & varia corpora ex illa materia successivè producere vellet. Posterius patet ex prop. 7.

HYPOTHESIS III.

Deus istas particulas singulas movit circa propria centra separatim. Hoc enim requirebatur ad naturam fluidi, (per prop. II.) quod præsupponuntur constituere debere.

HYPOTHESIS IV.

Deus plures tales particulas simul movit circa alia quadam puncta aquè à se mutuò remota, &c. eodem modo disposita ac jam sunt centra fixarum, nec non etiam circa alia aliquantò plura, qua sequent numerum planetarum. Ut enim possint misceri, & varia corpora inde fieri, non debebant in eodem loco consistendo circa propria tantum centra convolvi. Et cogitare hīc licet, Deum voluisse ita obscura quasi lineamenta effingere corporum maximè conspicuum per motum talem circa commune centrum.

VII. Non sunt autem hæ hypotheses omnino falsæ. Quamvis enim ex historia creationis constet, Deum sex diebus totum mundi opus absolvisse, & à Mose quoque singu-

singulis diebus sua opera assignentur. Scriptura tamen non docet, an momento uno omnia cujuslibet diei opera sint facta, an verò intervallo isto temporis, quod dies vocatur; quod si posterius statuas nihil in eo Scripturæ contrariaberis, nihil quicquam Omnipotentiæ divinæ detrahes. Sed posito, quod Deus momento unico opera uniuscujusque diei produxerit, si nos tamen velimus eorum naturam cognoscere, non debemus ea ut integraspectare, sed secundum naturæ leges resolvere, quo facto ea non alio modo formanda fuisse ex hypothesium declaratione est manifestum. Certum etiam est, etiamsi Deus in momento formasset, eum nihilominus iis talem fuisse inditurum naturam, quæ cum legibus naturæ conveniret, adeoque ea imposterum quoad operationes suas & proprietates tali modo se fuisse habitura, ac si ita facta essent. Quemadmodum autem Theologos nemo peccati arguit, quod in decretis Dei, quæ unico actu ab æterno formata esse probè sciunt, cum in Deo sint, qui purus actus existit, considerent diversos actus, horumque actuum Ordinem secundum regulas veræ sapientiæ constituant: multò minus nobis jure quis vitio vertere poterit, quod in Operibus Dei externis, quæ sex diebus sunt peracta, ita ut non constet,

an uno momento opera cujuslibet diei sint
absoluta, an verò integer ad ea dies fuerit
adhibitus, consideremus talem dispositio-
nem & ordinem, qui regulis naturæ evi-
dentissimis conveniat.

VIII. His ergo ita confirmatis, ut
propriùs ad institutum nostrum accedamus
subjungendæ Propositiones sequentes ex
Philosophi lib. III. desumtæ:

PROPOSITIO XIII.

*Illa particula aquales hypotheseos prima
non potuerunt esse sphærica. Quia sic va-
cuum relinqueretur (contra prop. 2.) sed
cujuscunque figura primò fuerint debuerunt
tandem fieri sphærica. art. 48. Quia fuerunt
motæ (ex hypoth. 2.) & quidem variè tum
circa propriæ centra, tum circa alia. (per
hypoth. 3. & 4.) Quare eminentiæ omnes
necessariò tandem fuerunt abrasæ.*

PROPOSITIO XIV.

*Circa istas particulas sphæricas debuit
esse alia materia subtilis. art. 49. Orta est
enim ex abrasione angulorum & eminenti-
iarum (per prop. 13.) Quia autem mansit
eadem extensio totius istius materiæ colle-
ctivè consideratæ post divisionem & abra-
sionem, ideo spatia inter globulos relicta
debuit*

debuit implere, quod facile potuit præstare propter tenuitatem, quia non nisi tenue potest esse id, quod unâ vice ab ipsis æqualibus partibus fuit abrasum, propter quam tenuitatem etiam facile dividi potuit in infinitum, (per prop. 4.) ut in quælibet spatia se potuerit insinuare.

PROPOSITIO XV.

Confluxit etiam ista materia ad centra ea, circa qua ex hypoth. quarta congeries particularum fuit mota indeque sidera sunt orta. art. 54. Aucta enim est valde ex continua illâ abrasione, ut major longè fuerit copia, quam requirebatur ad spatia interjecta replenda. Cum autem (per prop. 9.) globuli moti circulariter à centro conarentur recedere, propulerunt illi proximos & hi iterum alios. Sed vacuum dari non potest (per prop. 2.) & in corporibus motis semper fit circulus (per prop. 5.) Necessariò ergo globulis à centro recendentibus, alia quædam materia debet succedere. Globuli autem nulli ad centra potuerunt accedere, quia hactenus omnes fuerunt æquales, adeoque æqualem habuerunt conatum à centro recedendi. Ergo necessariò materia subtilis, quæ facile recipit motus aliorum corporum, ut potet tenuis & facile sese insinuare valens, ad centra fuit depulsâ, sicque

que sidera sunt orta proportionalia ad materiam, quæ circa illa in Orbem movetur.

PROPOSITIO XVI.

Illa porrò materia subtilis, quam primum ad centra pervenit, mota est motu istius vorticis in circulum. art. 72. Hic enim motus facile à vicinis globulis poterat imprimi, unde postea subsequens materia similem impressionem suscepit, donec omnis superflua materia in centrum descenderit, quæ tota simul gyrate debuit.

PROPOSITIO XVII.

Vortices jam debent ita inter se esse compositi, ut unusquisque in eam partem feratur, secundum quam reliquorum omnium circumstantium motus minus illi adversantur. art. 65. Nam (ex prop. 10.) colligi facile potest, motum quocunque corpus alterius occursu ita facile flecti posse, ut in suo motu quam minimum impediatur. Quod futurum esse mutuo huc & illuc impulsu, concipi facile potest.

PROPOSITIO XVIII.

Minus autem se impediunt vortices, si poli cuiusque non tam vicini sint polis aliorum vorticium contiguorum, quam partibus

238 CHRISTOPH. WITTICH.
bus ab ipsorum polis valde remotis, hoc est,
Eclipticæ. art. 67. Si enim duorum Poli se
mutuo tangerent, vel ambo in easdem par-
tes ferrentur, & sic in unum vorticem co-
alescerent, at nos distinctos jam supposui-
mus; vel in contrarias, & sic sibi mutuo
quam maximè repugnarent.

PROPOSITIO XIX.

Vortices isti sunt latiores & ampliores
versus Eclipticam, quam versus Polos.
Globuli enim vehementius versus Eclipti-
cam pelluntur, quod ex circumgyratione
est manifestum. Eclipticæ autem oppositi
sunt poli (per propos. 18.) qui minus resi-
stunt, quod globuli versus Polos non ita
vehementer pellantur: Polis verò Eclipti-
cæ, quæ magis.

PROPOSITIO XX.

*Materia subtilis ex Polis cuiusque vorti-
cis versus centrum, & ex centro versus a-
lias partes fluit. art. 69.* Omnis enim ma-
teria recedere conatur à centro (per pro-
pos. 9.) & vehementius pellitur versus Ecli-
pticam, quam versus polos (per prop. 19.)
Cum ergo ad Eclipticam occurrat polis
(per prop. 18.) qui minus resistunt, certum
est, illam ibi ingressuram, egressuramque
ex partibus versus Eclipticam.

PROPOSITIO XXI.

Proximi sideris globuli celerius feruntur quam paulo remotiores ad certam distantiam. art. 84. Quia cum materia subtilis in centro vorticis semper circumvolvatur (per prop. 16.) & semper aliquid sui per angustos meatus, qui sunt inter globulos secundi elementi versus Eclipticam emit-
tat, & versus polos recipiat (per prop. 20.) non dubium est, quin habeat vim secum ra-
piendi globulos istos usque ad certam di-
stantiam. Itaque quo propiores sunt, tan-
to magis in istos vim suam exserere potest,
quo remotiores, tanto minus.

PROPOSITIO XXII.

*Globuli Sideris proximi sunt minores re-
motioribus.* art. 85. Effe enim inter eos
quo ad magnitudinem differentiam patet
exinde, quia etsi ab initio omnes fuerint æ-
quales, fieri tamen non potuit, quin lapsu
temporis ob inæqualitatem spatiorum quæ
percurrunt, & motus inæqualitatem inde
ortam (per propos. 6.) aliqui aliis minores
evaderent. Iam autem celerius moventur
propiores remotioribus (per prop. 21.) Si
ergo centro proximi essent majores vel æ-
quales superioribus, eo ipso plus vel tan-
tum

240 CHRISTOPH. WITTICH.
tum haberent virium à centro recedendi, &
sic evaderent superiores.

PROPOSITIO XXIII.

Terra fuit aliquando sidus. Cum enim ex hypothesi quarta in ipsa centrum etiam fuerit, circa quod quædam materia movebatur, cætera omnia ex demonstratis eodem modo contingere debuerunt, ut materia subtilis in istud Centrum confuxerit, & sic sidus constituerit.

PROPOSITIO XXIV.

Terra obducta est tandem maculis, & vortex ejus absumtus fuit à vortice Vicini potentiori Solis. Cum enim fuerit Sidus (per prop. 23.) nunc autem tam crassa existat, debuit necessariò tam densis maculis obvolvi. Facile sane potuit contingere, ut materia illius subtilis partes irregulares & minus subtiles sibi mutuo adhærerent & non tam facile circumagi possent. Itaque si tanto commodius aliæ atque aliæ minutæ adhærere potuerunt, donec tandem tam crassa fuerit facta obductio, ut materia subtilis, quæ intra istam maculam circumvolvebatur, (per prop. 16. & 8.) nullam vim ad circumapiendum globulos sui vorticis potuerit exercere, quo facto isto vortex facile ab adjacente potentiori fuit absorptus.

PRO

PROPOSITIO XXV.

Terra fuit detrusa versus Solem. Cum enim vortex ejus fuerit absorptus, à vortice Solis (per prop. 24.) etiam ipsum Sidus maculâ obductum à vortice absorbente necessariò debuit rapi. Materia autem circa Solem circumvoluta conabatur semper magis atque magis recedere à centro (per prop. 9.) Itaque omne illud, quod sibi obstat, ut hic Terram, depellere debuit versus centrum, ut in ejus locum adscenderet, quamdiu nempe in isto sidere maculis obducto sive Terra, nullus alias motus consideratur.

PROPOSITIO XXVI.

Terra fuit detrusa in eum locum ubi nunc est. In eum enim locum debuit descendere, ubi sunt globuli Cælestes quibus in soliditate sive in aptitudine ad perseverandum in suo motu per rectas lineas est æqualis. Si enim proprius versus Solem accederet, versaretur ibi inter globulos Cælestes paulò minores, (per prop. 22.) quos superaret vi ad recedendum à centro circa quod gyrat & sic superior evaderet: Versaretur etiam inter globulos paulò celerius motos, (per prop. 21.) à quibus vim maiorem ad recedendum à Centro acciperet,

L

atque

242 CHRISTOPH. WITTICH.
atque ita inde rursus egredi deberet. Sive-
rò magis recederet à Sole , ei occurrerent
globuli cælestes aliquanto minus celeriter
moti (per prop. 21.) qui proinde ejus agi-
tationem sive vim recedendi à centro mi-
nuerent , & paulò majores (per prop. 22.)
qui proinde vim haberent ipsam depel-
lendi.

PROPOSITIO XXVII.

*Terra in eo loco in quo est, defertur à ma-
teria ambiente annuâ delatione.* Fuit enim
absorptus à vortice Solis vortex Terræ (pe-
r. prop. 25.) & detrusa Terra in eum locum
in quo nunc est (per prop. 26.) ubi materia
cælestis eam ambit , quæ fluida est ex ante-
cedentibus,& in circulum movetur (ex hy-
poth. 4.) E. (per prop. 12.) corpus durum,
quod inibi est positum secum defert. Quo
autem tempore Terra ita delata redeat ad
locum eundem ex phænomenis discendum.
Fit illud quando Sol sub eodem signo ite-
rum conspicitur , sub quo antea fuit con-
spectus , ut si ex. gr. fuerit conspectus sub
Ariete quando iterum sub eodem signo
conspicitur , censenda est circuitum suum
absolvisse , quod annuo spatio fieri expe-
rientia docet.

PROPOSITIO XXVIII.

Terra simul circumvolvitur à materia caelesti ambiente circumvolutione diurnâ. Nam 1. cum vicissitudo diei & noctis positis his omnibus, quæ antea sunt demonstrata, non possit fieri motu Solis circa Terram diurno, nec alia causa afferri queat, necessariò id fieri debet per Terræ conversionem. 2. cum Terra fuerit sidus (per prop. 23.) ergò potuit retinere illum motum, quem antea habuit, materiaque subtilis in ejus centro, cum procul dubio adhuc moveatur (per prop. 8.) Terram impellere potest. 3. Quia Luna movetur circa Terram (uti satis constat ex phænomenis) debuit hoc ex antea demonstratis inde contingere, quod, cum non minorem habeat vim agitationis quam Terra, in eadem sphærâ debuerit versari (per prop. 26.) & cum mole sit minor, æqualem habens vim agitationis, celerius debeat ferri. Ergò fuit delata versus Terram in eadem sphærâ. Est autem Lunâ quantitate satis magna, ita ut secundum Clavium ad Terram proportionem habeat qualem 1 ad $39\frac{1}{3}$: Vacuum etiam dari nequit (per prop. 2.) nec minui potest extensio, non minutâ substantiâ corporea (per prop. 3.) Quare ita versus Terram delata, mole suâ

compressit globulos versus Terram, qui cum tam citò non potuerint cedere, ut circulus fieret, (per prop. 5.) propter nimiam Lunæ agitationem, restiterunt, ut Luna ad Terram non potuerit magis accedere, quam accessit. Quare Luna (per prop. 10.) aliam determinationem motus accepit, ita ut circa Terram gyret, dum interim una cum illa circa Solem defertur à materia cœlesti ambiente. Quia ergo vis magna & quantitas est Lunæ ex antecedentibus, facile potuit materiam cœlestem inter se & Terram interjectam in modum vorticis contorquere, quæ simul Terram circa axem suum convolvit (per prop. 12.) Nec mirum esse debet, quod Terra ferè tricies circa axem suum convolvatur, dum Luna tantum semel circumferentiam circuli sui circa Terram percurrit. Cum enim hæc circumferentia sit circiter sexagesies major Terræ ambitu, sic Luna duplo celerius adhuc fertur quam Terra, & cum ambæ agantur ab eadem materia cœlesti, quam credibile est non minus celeriter moveri prope Terram, quam prope Lunam, non alia causa videtur esse majoris in Luna celeritatis, quam quod Terra sit minor.

I X. Ita Thesis nostra evidentissimâ, ut reor, demonstratione est probata; Nunc etiam Antithesis Tychonis est evertenda.

Hanc

Hanc absurdam esse inde est conspicuum; Cum enim Sol circa axem suum convolvatur, uti experientia comprobavit per Solis maculas, quæ spatio 26 dierum circiter circumvolvi cernuntur, & à Sole circumrapiantur 5 Planetæ per hypoth. Tychonis, non potest ulla ratio concipi, quare etiam Terra intermedia inter proximos & remotiores Planetas, uti ex Systematis inspectione patet, non simul à Sole rapiatur, nisi fingat maximam aliquam vim, quæ tractis à Sole remotioribus Planetis, corporibus longè majoribus, Terram retineat immotam. Ad extraordinariam autem Dei potentiam hic configere, cum querantur causæ naturales, est prorsus ἀποστόλος.

X. Excipit du Bois p. 34. Dialogi sui Theologico-Astronomici: *Si aliqua darentur argumenta verè demonstrativa promotu Terra diurno & annuo ea à phanomenis & apparentiis deduci deberent. Resp. 1.* argumentum nostrum per propositiones 28. deductum esse reverè demonstrativum, patebit lectori benevolo, qui citra præjudicia rem voluerit perpendere, adhibita simul in confilium Part. II. & III. Principiorum Philosophi, ubi omnia latius sunt deducta, nec existimo quicquam contra illud excipi posse, ad quod non facilis parata mihi sit responsio. 2. argumentum quod

per causas naturales nexus evidentissimo inter se cohærentes effectum demonstrat, esse demonstrativum nemo negare potest, qui quid sit demonstratio $\mathfrak{E} \ddot{o}n$ cognitum haberet, tale autem hoc nostrum esse inspectio docebit. Quam præferendam esse demonstrationi $\mathfrak{E} \ddot{o}n$, quæ ab effectu ad causam procedit, accuratiores Logici ostendunt. Quamvis itaque fortè apparentiæ æquè per Tychonianam hypothesin salvari queant, ac per Copernicanam, adeoque demonstratio $\mathfrak{E} \ddot{o}n$ haberi non queat, illius tamen defectum facile demonstratio à priori supplebit.

C A P V T VI.

Objectiones ex Scriptura contra Sententiam nostram allatae discutiuntur & solvuntur.

I. **V**ideamus nunc quid contrariarum sententiarum Patroni contra hanc Veritatem tam solidè demonstratam consueverint oggerere. Ita ergò generaliter objici solet: Contradicit hoc dogma de duplice Terræ motu sive delatione Scripturæ, quæ passim Terræ quietem, Cælo vero motum tribuit.

II. *Reſp.* Ostensum est in Dissertatione
præ-

præcedente multis argumentis, non debe-
re nos Philosophica dogmata ex Scripturis
petere, quæ velim benevolum Lectorem
hic sibi ad animum revocare: multis iti-
dem exemplis est declaratum scripturam
sæpè loqui ex opinione vulgi, non ex rei
veritate, præsertim de iis rebus, circa quas
vulgus ex præjudiciis sensuum opiniones
erroneas concepit, quo dicimus referenda
esse pleraque loca contra sententiam no-
stram objecta, uti ex speciali eorum exami-
ne in sequentibus patebit. Quia autem hic
tantum versamur in generalis Objectionis
discussione, velim à lectore attentè consi-
derari verba Augustini epist. 7. ad Marcel-
linum, quæ nostra facimus: *Si manifestissi-
ma & certissimaque rationi velut Scriptura-
rum Sanctorum objicitur authoritas, non
intelligit, qui hoc facit, & non Scriptura-
rum illarum sensum, quem intelligere non
potuit, sed suum potius objicit, nec quod in
eis, sed quod in se ipso, quod pro eis invenit,
opponit.* Cum quibus conveniunt ea, quæ
de Gen. ad lit. lib. 1. cap. 21. leguntur: *Di-
dici non harere homini, in respondendo se-
cundum fidem; quod respondendum est ho-
minibus, qui calumniari libris nostra & sa-
lutis affectant: ut quicquid ipsi de natura
rerum veracibus documentis demonstrare
potuerint, ostendamus nostris literis non esse*

contrarium. Quare cum ratio nostra pro delatione utraque Terræ fuerit manifestissima, concludat Lector non esse hunc Scripturæ sensum quem adversarii volunt, sed ab adversariis confitum, attendatque ad sequentia, ex quibus manifestum fiet, Sacram Scripturam huic dogmati non esse contrariam. Atque his videtur du Bois consentire, qui Dialogi sui p. 32. *Dico ergo, si quadam argumenta in hac materia contra expressam S. Scriptura Literam sint admittenda, non probabilia, sed mathematicè demonstrativa esse debent, & qua nos invitos cogant à sensu proprio verborum sacrorum recedere.* Nostrum argumentum verò tale esse, & lectorem dummodo à præjudiciis liber sit ad assentiendum cogerere, dicere non veremur.

III. Excipit Revius Stateræ suæ p. 321. *Hoc argumentum ex particulari procedit. deinde cum Scriptura sui interpres sit, quod rudi Minerva refert, id alibi quomodo intelligendum sit exponit.* Homogenea habet Lentulus Novæ Sapientiæ p. 177. *Ponamus id fieri aliquando, idcircone semper, idcircone quod in uno loco obscurè dictum est, in alio non clarius explanetur?* It. p. 188. *fieri hoc uno aut altero loco de re aliquâ obscurâ ut concessero ita tot locorum varieta te infirmitati plebis sine gravi ratione consuli nihil opus erat.*

IV. *Resp.* i. Non est nostrum argumentum: Scriptura in aliquibus locis loquitur secundum opinionem vulgi potius, quam secundum accuratam rei veritatem: Ergo eodem modo intelligenda est, quando Soli motum, Terræ verò quietem attribuit. Sed est responsio ad Objectionem adversariorum loca Scripturæ nobis objiciens. Illis dicimus, fieri sæpè solere, ut Scriptura de rebus naturalibus loquatur secundum opinionem vulgi: Itaque non necessariò loca Scripturæ, uti ipsi volunt, proprie accipienda esse. Ipsi verò incumbet onus probandi, non posse in his vel illis locis objectis aliter verba accipi, quam proprie, nec posse in iis locutionem vulgarem locum habere: quod ubi fecerint, manus ultrò porrigemus. Sed nos ex superabundanti ostendimus secundum Augustini præscriptum, necessariò in his vel illis locis verba accipi debere impropriè & per Metonymiam exponenda. Quia enim veracibus documentis Cartesius & nos ex ipso demonstravimus, veritatem nostræ sententiæ: Ergo ex mente Augustini ostendum nobis fuit hanc sententiam sacris literis non contrariari, quod in genere fieri aliter non potuit, quam distinguendo inter locutiones accuratas & vulgares, inter phrases καὶ δογματικὲς καὶ αἱρησιῶν. 2. ut con-

250 CHRISTOPH. WITTICH.
cedamus Scripturam , id quod rudi Miner-
vâ alicubi retulit , alibi quomodo sit intel-
ligendum aliquando exponere , in iis quæ
pertinent ad religionem : ut quando locu-
tiones de Deo anthropathicas exponit iis
in locis, in quibus docetur: Deum esse Spi-
ritum, Deum esse invisibilem , immensum
& infinitum; item, quando Christus eos quos
Matth. 8. vocaverat filios Regni, Ioh. 8, 44.
vocat filios Diaboli : *vos ex patre Diabolo*
estis. Attamen hoc non est necessarium fie-
ri in rebus naturalibus , cum non sit Scri-
pturæ institutum illas explicare , ut vel se-
mél de iis accuratè loquatur. 3. ubi Scri-
ptura circa res naturales non exponit id ,
quod rudi Minervâ dixerat , tradit istam
provinciam rationi, cuius hoc est officium,
quandoquidem ea naturam rerum Physica-
rum nobis cognitam reddere potest. Ita
nullibi videmus expositam sententiam il-
lam Gen. 1. quod Luna sit magnum Lumi-
nare unà cum Sole, oppositè ad stellas; nul-
libi enim ostendit , stellas fixas Lunâ esse
majores , sed hoc Astronomiæ faciendum
relinquit. Simile iudicium de aliis locis su-
periori dissertatione citatis.

V. Instat du Bois contra hanc respon-
sionem p. 22. *Certè non poterit ulterius con-*
cludi , quam in locis qui pro motu Solis &
Terræ quiete proferuntur posse esse tropum,
sed

sed à posse ad esse non datur consequentia: ergò non posse esse, sed reverā in iis verbis tropum esse probandum erit. alias semper in hære~~o~~ proprietati verborum, à qua sine ratione recedere nefas est: præcertim si nullus detur in tota Scriptura textus, nullum verbum, quo contrarium vel directè vel indirectè, vel proprie vel tropicè ullo ve alio modo notatur. Resp. Eſſe tropum in his Scripturæ locis inde colligimus, quia manifestissimæ opponuntur rationi, cui lumen revelationis non contrariari certum est.

2. præsumtio docet eſſe tropum in his Scripturæ locis, fundata iis argumentis quæ cap. 2. Prioris dissertationis latius deduximus, cum ergò ratio præterea accedat, ostendens motum non Soli sed Terræ tribuendum, nihil certius quam tropum in iis agnoscendum.

V I. Sequitur nunc Objectio 2. ex Scriptura, quæ specialis est, desumpta ex Ios. 10, 12, 13. *Tunc allocutus est Iehoschua Iehovam, quo die exposuit Iehovah hunc Emorrahum filiis Israëlis, & dixit ante oculos Israëlis: Sol in Gibhone subsiste & Luna in Valle Ajalonis. Substitit ergo Sol & Luna stetit, donec vindicata esset gens Israëlitica ab hostibus suis.* nonne hoc scriptum est in libro recti? Stabat autem Sol in medio calo, neque festinabat ad occasum, quasi diem integrum

tegrum. Hunc locum du Bois ita urget Dialogi p. 13. *Quanam erit probabilitatis species, quod Iosua plenus Spiritu Sancto, tam ruditer, sensu rei veritati contrario loqui voluerit?*

VII. Resp. 1. Ut suprà, hæc accipienda esse καὶ δόξαν non nego aληθειαν, cum ratio sit manifesta, quæ Terræ motum probat, nec aliter possit ei non contrariari Scriptura. 2. non absurdum erit, si dicamus, Iosuam non omnia scivisse, quæ pertinebant ad res naturales, quamvis Spiritu Sancto fuerit plenus, non enim ad hoc ipsi Spiritus Sanctus fuerat datus. Quidni enim idem nobis liceret statuere de Iosua, quod Cæberimus Vossius lib. 3. de Idololatria c. 99. statuit de Apostolis his verbis: *Nec enim, inquit, necesse est, credamus, Clementem scisse omnia, quæ facerent ad arcana naturæ. Ne id quidem credere est opus de Apostolis; licet Christus promiserat missurum se Sp. Sanctum, qui in omnem eos duceret veritatem. Quippe hoc restringendum ad veritatem earum rerum, qua ad Salutis pertineant negotium; immo ne harum quidem omnium quia Apostoli ipsi ex parte viderunt ac prophetarunt: sed omnium, quas scire est opus alteram ad vitam consequendam. Nihil ergo inconvenientiæ futurum, si dicamus Iosuam ibi opinionem vulgi sectum,*

cutum, & opinatum fuisse, quod Sol motu circa Terram diem efficeret, & hinc petiisse, ut ejus motus aliquamdiu sifteretur.

3. sive autem sciverit Iosua sive non, *cujus motui tribuenda diei & noctis vicissitudo, Solisne an Terra,* adhuc facilis est solutio. Considereremus tantum quid hoc in loco Iosua à Deo efflagitaverit. Is procul dubio ex instinctu Sp. Sancti, qui fidem miraculorum in corde ipsius accenderat, exoptavit, ut dies continuaretur, quo vindictam sumere posset de inimicis Dei & populi Israëlitici. Itaque petiit à Deo ut Solem sifteret, ad hunc suum scopum obtinendum. Neque enim opus erat, ut in hac petitione alia formula loquendi uteretur, quam vulgo erat recepta, neque tunc tempus erat cogitare, de motu corporum quibus dies efficitur, & considerare quibus ille tribui debeat, atque ita accurate loqui. Sed sciebat, Deum intellecturum suam intentionem, quibusunque verbis eam exprimeret. Itaque cum porrò de exauditione ejus dicitur, Scriptura ipsius formulæ loquendi respondet, ut quemadmodum ipse diei prolongationem petierit per hanc formulam: *Sol sita*, ita Scriptura ostendat, simili formulâ, illud quod petierat factum esse, ut nempe dies fuerit prolongatus.

4. Voluit, ut Sol sibi staret ad suum scopum obtinen-

dum, id est, supra suum Horizontem maneret, quod fieri potuit, sive motus Solis apparens sisteretur, per Terræ, sive verus per Solis quietem, quæ responsio est ex Keplerio desumpta, cui similis est Foscarini, qui ita dicit: *Iosua imperium, SOL NE MOVEARIS, & miraculum immoti Solis, ab eo perpetratum ita potest accipi, ut non propriè corpus Solare, sed Solis splendor super Terrâ substiterit, ex eo quod non ipse Sol (per se jam prius immotus) sed ipsa Terra ejus splendorem recipiens motum suum stiterit: qua, sicut Ordinarium suum motum Orientem versus indefinenter persequendo, Solis splendorem in Occidentem accivisset, ita immota manens, immotus & stetit Solis splendor, in eum impressus.* 5. Subjungamus tandem Belgarum interpretationem, qui ad verba *in Gibhone* ita annotant: *Dat is / staet stille te dier plaeſe / daer ghy nu zijt / want Iosua was te deser tijdt te Gibeon/* vers. 1 o. Item ad verba *in Convalle Ajalonis*. *De sin der woorden Iosua is / Sonne en gaet ons niet onder/terwylle wip in Gibeon strijden/ ende / Mane en brengt ons den nacht niet aen.* hoc est, *Confiste in hoc loco, in quo nunc es. nam Iosua erat tum temporis Gibeone.* Item. *Sensus Verborum Iosua est, Sol ne occidas nobis, quamdiu pugnamus in Gibeone,*

Gibeone, & Luna, ne nobis adducas noctem.
 Ex quâ interpretatione hæc duo pro nostrâ sententiâ colligimus 1. in eo agnoscî debere vulgarem locutionem, quod Soli tribuitur existentia Gibhone, quæ tamen conveniebat Iosuæ, unde non mirum esse debet, si etiam in illo ipso S T A R E talem annotemus. 2. Iosuam petere, hancque ipsius esse intentionem, ne Sol sibi occidat. Soli autem ortus & occasus convenit & tribuitur tam ab iis, qui Copernici Systema corporum cælestium admittunt, quam à Ptolemaicis vel Tychonianis.

VIII. Contra quartam nostram respon-
 sionem instat du Bois p. 23. *Bona esset re-
 sponsio, dummodo rem veram esse comproba-
 tum esset; at deficiente illâ comprobatione,
 verba tantum sunt: nec aliquid in specie
 respondetur, quod non ante in responsione
 generali productum fuerit; videlicet illâ
 dici secundum apparentiam.* Ergo etiam ad
 retundendam hanc exceptionem sufficere pos-
 sent vindicia generales. Sed pressius urgebo
 hunc locum. Verba Iosue facta sunt non tan-
 tum ad Solem, sed & ad Lunam, & mira-
 culum duabus constabat partibus, videlicet
 in statione 1. Solis 2. Luna. Luna statio-
 nem realem fuisse & non secundum appa-
 rentiam Copernicanis patentibus, certum
 est; dico ergo & Solis stationem talem fui-
 se;

se; nulla enim est ratio, cur verba de quiete Solis magis secundum apparentiam debeant exponi, quam verba, quæ Luna quietem tribuunt, quæque necessariò de intermissione motus sui sumenda sunt. Paria his sunt, quæ Revius excipit p. 326. Stateræ suæ. Quam ineptum est, cum Scriptura & Solem & Lunam miraculo stetisse referat, hoc dictum ita dividere, ut in Sole nihil novi contigerit, ut qui steterit ab initio mundi & semper staturus sit, Luna vero ordinariè quidem moveri, miraculo autem stetisse dicatur. Quid hoc est aliud quam dicere, Scripturam partim veram partim falsam esse?

IX. Resp. 1. Bonum factum, quod hactenus du Bois hanc responsionem acceptat, proque bona agnoscit, dummodo rem veram esse comprobatum sit. Id enim cum à nobis abunde in superioribus sit factum, promittimus nobis eum imposterum veritati faventiores. 2. id quod in genere dictum fuerat de locutionibus vulgaribus, hic applicatur & in specie ostenditur, quomodo hæc verba apud Iosuam cum veritate nostræ sententiæ non pugnant. Vindicias generales omnes quascunque afferri vidi mus à quibuscunque superiori dissertatione retudimus. 3. Fateor verba Iosuæ directa esse non tantum ad Solem, sed etiam ad Lunam,

nam, petiisseque, ut utraque luminaria starent: sed modus standi propterea non utrobius par esse debebat. Vtraque ergo hæc Luminaria stabant, sed alterum statione verâ alterum apparente, qualis sæpè in Astronomia etiam Ptolemaica locum habet. 4. de utroque luminari Iosua loquebatur secundum vulgi præjudicia. Etiamsi enim Luna reverâ curreret, hoc tamen vulgus non cognoverat per certam demonstrationem, sed æquè ac de Sole per sensus apparentiam collegerat, in quo similiter potuisset falli ac circa Solis motum fuit falsus. Omne enim illud præjudicium vocari debet, quod sine ulla certa ratione creditur & pro vero assumitur, etiamsi casu fiat, ut illud sit verum. 5. Quænam sit ratio ob quam Statio de Luna debeat intelligi realis, de Sole tantum apparens, pater ex cap. præcedenti, unde hæc responsio inepta dici non meretur. Inde autem sequi Scripturam partim veram partim falsam esse, nemo præter Revium videt, nisi ex omnibus locutionibus vulgaribus, quibus Scriptura utitur, ei falsitatis dicam impingere velis, à qua nos illam cap. 5. Prioris Dissertationis art. 2, 3, 4, & 5 liberavimus.

X. Contra 5 nostram responsionem adduci posset, id quod ibidem habet Revius p. 326. *Hoc argumentum eo modo procedit,*
ac si

dere, cum in circulum moveri statuatur, sed tantum respectu nostri, ratione nempe habitâ nostri Horizontis. Ita quando in Ortu supra nostrum Horizontem se conspicendum præbet, pergitque donec ad circum Meridianum perveniat, dicitur ascendere; descendere verò; quando à circulo Meridiano ad occasum progreditur. Itaque cum dicitur Solem esse reversum, intelligendum id de motu ipsius non vero, sed apparente, qui semper Terrâ motâ soli est adsignandus.

XIV. Obj. 4. Psal. 19. 5, 6, 7. *Deus Soli tentorium dispositus in eis. Nam est tanquam sponsus prodiens è thalamo suo, latatur tanquam robustus decursurus viam. Ab extremitate calorum exortus ejus, & revolutio ejus ad extremitates eorum est, nec est qui abscondatur à facie ejus.*

XV. Resp. Qui non videt hinc esse locutiones vulgares non unam, sed plures, is parum admodum videt, ut mirer tantoperè huic loco inniti voluisse du Bois, uti mox videbimus. Nam quomodo Soli competit tentorium in calis? quomodo prodit è thalamo suo? quomodo decurrit viam tanquam robustus? quomodo tandem exoritur ab extremitate Calorum, & revolvitur ad extremitates? nonne luce meridianâ clarius est, si quis ad has locutiones attendat, illas

illas respicere eam vulgi opinionem in præjudicio sensuum fundatam, quod ibi, ubi visus noster terminatur & Terra cælum contingere videtur, sint Cæli extremitates, in quibus thalamus & tentorium quasi Solis, in quod sese recondat, per totam noctem in quiete ibi manendo, ex quo thalamo manè prodire judicatur, apparetens tanquam robustus aliquis gigas, quia in Ortu longè major videtur, quam in medio Cæli. De hac vulgi opinione ita Tacitus de moribus Germanorum: *Trans Suionos aliud mare pigrum ac propè immotum, quo cingi cludique terrarum Orbem hinc fides: quod extremus cadentis jam solis fulgor in ortus edurat, adeò clarus ut sidera hebetet. Sonum insuper se mergentis audiri formasque deorum, & radios capitis adspici persuasio adjicit.* Ad quæ verba Lipsius annotat: *Hac persuasio rudis & casca plebis fuit, Sol dum in Oceanum cadit, stridorem edere non aliter, quam si ignitum ferrum condatur in aquam, advocatâ etiam authoritate Posidonii apud Strabonem & Floride Decimo Bruto in Hispaniis bellante. Sic Virgilius Georg. I. hanc vulgi opinionem secutus inquit: Sol quoque & exoriens, & cum se condet in undas, signa dabit.* Fateor quidem huic præjudicio generali, secundum quod Psalmus sermonem suum inflebat,

Et ita atque alia esse addita, ut quod Sol undis immersatur, dum occidit, &c. est tamen in genere hoc omnium præjudicium, ultra id, quod sensus monstrat assurgere non valentum, quod Sol ubi occidit condatur quasi sub Terram, eam ferè attingendo, ibique usque ad exortum defes latet. Vnde non mirum est, si propter certissimam rationem etiam circa cursum Solis locutio popularis ex præjudiciis sensuum orta sit agnoscenda. In quo tanto magis confirmabimur si consideremus Ortum etiam, qui in loco allegato Soli tribuitur, propriè loquendo ei non posse convenire, cum ne quidem secundūm Ptolemaicum systema Sol propriè possit dici Oriri. Quia enim secundūm ipsum Sol movetur in circulo, in quo nulla pars alterā humilior est, altiorve, æquè enim omnes à centro sunt remotæ: Oriri autem est è planicie in altum tolli vel assurgere, manifestum est hanc locutionem ad sensuum apparentiam esse accommodatam.

XVI. Sed videndæ instantiæ contrariæ sententiæ patronorum: Fullerus Vir doctus in Miscellaneis Sacris ita hunc locum urget lib. 1. cap. 15. in fine p. 98. *Constat (inquit) ipso statim initio Prophetam testari se non acturum de evanidis hominum imaginationibus, qua nihil sunt; sed de amplissimis*

*plissimis operibus manuum Dei ipsius, quæ
vera sunt, certa, sincera, solida, ac proinde
ad sacrosanctam ejus majestatem celebran-
dam accommodatissima.*

XVII. *Resp.* Nos non dicimus, Solem & Cælos esse imaginationem evanidam hominum, sed agnoscimus, (quis enim non agnosceret?) esse opera Dei maxima, ex quibus potentia ejus sapientia & bonitas elucet, ut quam maximè; edere etiam effecta realia non diffitemur, qualia sunt influxus in inferiora, Terræ illuminatio, quæ fit ut continua sit vicissitudo diei & noctis & similia. Tantum queritur, an opus sit, ut Scriptura modum quo effecta ista eduntur explicet *ánæstœiæ Astronomicâ*, quæ plerisque est ignota, quod vel ipse Fullerus suo exemplo testatur, an verò modo vulgari omnibus perspecto. Hoc disceptatur; utrum ad Terræ illuminationem motus Solis requiratur, an sufficiat tantum apprens, quorum posterius nos asserimus, & hactenus, ut puto, satis demonstravimus.

XIX. Pergamus ad instantias du Bois, easque enervemus. Sed quia in iis quædam sunt contra nos nihil facientia, ea tantum citabimus, quæ scrupulum aliquem hac nostra legenti possint injicere. Ita autem ille p. 23. *Ergo narrant cali Dei gloriam,* quia illi ipsi in se continent, & nobis praebent

bent materiam gloriae divinae: non apparen-
ter tantum, quoad nostram opinionem, sed
reverâ, ac proinde & effecta ac adjuncta.
idem reverâ præstant, nam dies enunciat
diei, & nox nocti eructat scientiam. Ergo
respicit vicissitudinem dierum & noctium:
qua cum effectum sit calorum, necessariò
sequitur calum non autem Terram motu
diurno moveri: nam si Terra moveretur,
non autem calum, tum in variatione illa
non Calum, sed terra narraret gloriam Dei,
nam vicissitudo illa non esset originaliter à
Calo, sed à Terra.

XIX. *Resp.* 1. Quis unquam Coperni-
canorum dixit, Cælos præbere materiam
gloriae divinæ apparenter tantum non re-
verâ? imò quænam Philosophia magis
gloriam Dei in cælis agnoscit? illâne quæ
Gloriam Dei ex ipsorum pulcritudine, mo-
tus directione secundùm leges naturæ, co-
rum immensâ magnitudine nullis termi-
nis quos non cognitos habet circumscri-
pta, &c. immensam agnoscit, quod Carte-
siana facit, an verò Aristotelica, quæ vix
aliquid distinctè de iis intelligit. 2. quod
vicissitudo dierum & noctium sit effectum
à Cælis dependens originaliter agnoscim-
us, imò Terram non nisi receptivè ad
eam se habere profitemur. Nam sive Terra
circa axem suum convolvatur, sive Sol cir-

ca illam feratur, nihilominus idem effe-
ctum in Terra sentietur. Oritur autem il-
la vicissitudo à Solis illuminatione & lu-
minis absentia, non à motu sive Solis sive
Terræ: motus autem alterutrius corporis
non nisi dispositio se habet, & tanquam
causa sine qua non ad utramque partem
Terræ lumen vel ejus absentia posset ap-
plicari, quod considerare du Bois debuisset.

X X. Sed sequamur illum objicientem
p. 24. *Hinc porrò suscipio talia argumenta.*
I. *Vt sponsus se habet ad gloriam suam non*
apparenter & ex opinione hominum, sed re-
verā, ita & Sol sese habet ad gloriam suam
reverā, & non ex opinione hominum appa-
renter tantum. Totum hoc facilè concedent
Copernicani: ergo sic pergo: II. *Vt Cursor*
sese habet ad cursum suum, ita & Sol ad
motum suum: At cursor sese habet ad mo-
tum suum realiter, & non secundūm appa-
rentiam tantum vel opinionem hominum:
Ergo & Sol sese habet ad motum suum rea-
liter, & non secundūm apparentiam tan-
tum vel opinionem hominum. III. *Prout*
Sol sese habet ad gloriam suam ipsi in Psalmo
tributam, ita etiam sese habet ad suum mo-
tum, cum in utraque similitudine nulla di-
versitatis nota reperiatur: at Sol sese habet
ad gloriam reverā & non secundūm opinio-
nem hominum apparenter tantum; Ergo &
habet

*habet sese ad motum reverâ & non apparen-
ter tantum secundum opinionem hominum.*

XXI. *Resp. 1.* Quomodo Sol comparetur cum cursore vidimus art. 14. fit collatio ejus quod appetet in Sole ad id quod reverâ in cursore contingit, in eo ergo est tertium hujus convenientiæ, quod sicut cursoris velocitas oculis appetet, ita etiam Solis, sed in eo est differentia, quod prior apparentia conveniat cum veritate, posterior non item. Quemadmodum ergo, si quis diceret: Solem sese elevare supra Horizontem & ascendere usque ad medium Cæli, quemadmodum Aquila sese elevat à superficie Terræ & usque ad nubes evolat, non permitteretur ipsi, ne quidem à Ptolemaico, ut inferret: At Aquila reverâ è loco inferiori ad sublimiorrem sese extollit. Ergò etiam Sol non apparenter ascendit, sed reverâ: Ita etiam non licet hic comparationem urgere ultra illud tertium, in quo fuit instituta. 2. negamus, quod eodem modo Sol sese habeat ad Gloriam suam & ad motum; nam quavis nulla afferatur in Psalmo diversitatis nota, tamen etiam nulla in eo comparatio instituitur. Sive enim Terra moveatur sive Sol, gloria Dei nihilominus ex Sole in eo manifesta sit, quod ille sit causa vicissitudinis diei & noctis, uti art. 18. vidimus.

XXII. Examinemus jam verba p. 24. in

fine & 25. ab initio: Praterea cum intenderit Psaltes probare, Cælos narrare gloriam Dei, dicendum erit, Prophetam vel non cognovisse veram rationem, quomodo Celi narrarent gloriam Dei, apparenterne an reverâ; vel cum realem narrationem Cælorum probâsse argumento, quod in se non est verum, sed tantum propter apparentiam verum creditur ab hominibus, qui rei veritatem ignorant. Vtrumvis statuatur, absurditas omnem modum excedit.

X X I I. Resp. Præsupponitur hic Copernicanos statuere Cælos gloriam Dei enarrare non reverâ sed apparenter, quod art. 18. est eversum. Ostendendum autem fuisset, Psalmum intendisse probare, gloriam Dei enarrari per Solis motum realem, quod est in quæstione. Sol quidem enarrat gloriam Dei, eo ipso, quia est origo vicissitudinis diei & noctis per suam lucem, sed ad id requiri etiam motum ipsius realem, est ipsum $\pi\alpha\mu\phi\iota\sigma\epsilon\eta\lambda\beta\mu\sigma\sigma$.

X X I V. Tandem cum Iacobus Lansbergius pro se adduceret authoritatem Calvini, qui ad hunc Psalmum annotat: *Itaque satis habuit crasso stylo ingratitudinis arguere totum mundum, nisi de Solis conspectu in pietate proficiat.* Hac ratio est, cur dicat tentorium ei paratum esse: Deinde egredi ipsum ab una Celi extremitate, & transire celeri-

celeriter in partem oppositam: neque enim argutè inter Philosophos, de integro Solis circuitu disputat: Sed, rudissimis quibusque se accommodans intra ocularem experientiam se continet, ideoque dimidiam cursus partem qua sub hemisphario nostro non cernitur, subtitet. Oggerit du Bois p. 26. Dicit quidem Calvinus S. Sanctum uti styllo crasso, & non argutè inter Philosophos disputare, sed quid hoc contra nos, vel ad hanc questionem? non negamus hoc, non est hac quæstio nostra, sed, an S. Sanctus ita sese vulgi sensui attemperet, ut tanquam verum protulerit, quod in se non est verum, sed tantum apparen: id est, an Soli adscribat motum, quia ita appareat & à vulgo creditur, quanquam reverâ sese non moveat, sed quiescat. Hoc verò non dicit Calvinus, sed contrarium asserit; nam Planitis adscribit suos cursus & quasi stadia, & firmamentum stellas omnes fixas in suam revolutionem trahere, dicit.

XXV. Resp. I. Lansbergium tantum Calvinum pro sc laudare haec tenus, ut ostendat in hoc Psalmo multas esse locutiones vulgares à sensuum apparentia derivatas. Nam crassus stylus, oppositè ad argutam inter Philosophos disputationem, item accommodatio ad rudissimos quosque, qui intra oculorum experientiam sese continent,

nent, hic infert locutionem à sensuum præjudiciis desumptam , opponiturque semper accuratæ rei veritati , ita ut posito alterutro alterum sit negandum. Et hoc apparet ex Arist. 1. Et hic ad Eud. cap. 6. cui hæc sunt æquipollentia: δοκεῖν, φανόμενα, λόγικον, αλλότρια, μὴ φιλοσοφῶς λεγέμενοι. An verò hoc in se est verum , quod Cælo convenient extremitates ? quod tentorium & thalamum habeat Sol in Cælis in quo quiescat , id quod verba Psalmi præjudicia vulgi exprimentia inferunt ? z. Quamvis quoad propositam quæstionem Calvinus à nobis dissentiat , consentit tamen in eo nimis quam clarè , quod Scriptura in rebus naturalibus accuratam veritatem non sequatur , sed ad præjudicia sensuum defletat. Reliqua quæ speciatim contra Lansbergium utrumque du Bois evibrat tela, nos Lansbergio retundenda relinquimus, satis habentes , si illa quæ contra ea , quæ à nobis fuerunt dicta , facere viderentur, refutaverimus.

X X VI. *Obj. 5. Psal. 93. 1. Etiam stabilitur Orbis habitabilis, ne dimovetur.*
Psal. 104. 5. Fundavit Terram super bases ejus, ne dimoveretur in seculum, & perpetuum. Hunc locum posteriorem valdè urget Fullerus lib. 1. cap. 15. Miscellaneorum Sacrorum. Summa ipsius rationum huc reddit:

dit; 1. quia id tantum verè fundatum dicitur, quod locum non mutat, sed in sede sua immotum quiescit, firmumque ac fixum manet. 2. fundata dicitur super bases suas. Basis autem valet stabilimentum, firmam sedem & statum seu quietem. Imò non super basin, unam videlicet, sed bases plurimas scilicet aut potius innumeratas. 3. Quod postremò sequitur omnem prorsus motum localēm vehementius excludit, ne dimovetur inquit, id est, ne levissimo minimoque motu quoquo versum ferretur.

XXVII. Resp. 1. Ad Psal. 93. Vox stabilis, vel stabilire non necessariò infert negationem omnis motus: tribuitur enim illa etiam rebus motui quam maximè obnoxii. Sic exempli gratia stata atas hominibus tribuitur, sic vocantur stata tempora, quæ recurrunt & secum similem actionem introducunt, qualis antea simili tempore fuerat edita. ut quando dicimus: Statis temporibus recurrere hyemem aestatem, &c. Attamen in his motus reperitur, imò ipsum Tempus numerus & mensura motus æstimari debet. Sic quoque ventus vocatur stabilis, qui aliquamdiu ab eadem parte flatum continuat. Quando ergo de Terra dicitur, eam stabiliri, ne dimoveatur, nihil aliud intelligitur, quam eam à se ipsa non dissolvi, neque comminui, sed

ita firmam manere. Majestatem enim Dei
hic Psalmus vult ostendere ex eo, quod ita
Terram stabiliverit, cui non repugnat, et
iam si illa tum circa axem volvatur, tum
etiam circa Solem deferatur. 2. ut men-
tem Psal. 104. percipiamus, considerandum
quid Psaltes per bases intelligat & omnis
difficultas evanescat. Psal. 24, 2. dicitur.
nām ipse super maria fundavit eam, scil.
Terram. Hinc aliqui per bases intelligunt
aqua subterraneas, alii verò per eas poten-
tiam Dei denotari volunt, quod Terra à
potentia Dei sustentetur, quasi esset funda-
ta super fundamenta quædam. Si enim vel-
lemus urgere vocem *basis*, deberemus trans-
ire in eorum sententiam, qui cum vulgo
Terram putant infinitis radicibus deorsum
esse radicatam, ita ut nulli sint Antipodes,
quod statuere velle, & esset manifestissimæ
experiendi reluctari, & rationibus Astro-
nomicis, quæ probant, Terram undique
esse rotundam, fluido Aëre circumdatam,
nec ipse Fullerus concessurus esset. Itaque
nihil aliud indicatur his Phrasibus, quam
Terræ firmitas, quæ fit, ne nutet concidat
& concutiatur, sive ne vetustate fatiscat aut
ruat, ut solent ædificia humana. Non di-
movetur Terra à basibus suis, sed firmiter
manet compacta. Hoc tamen non impe-
dit, quo minus circumferatur unà cum suis
basibus

basibus sive sua firmitate, quemadmodum etiam navis habet sua fundamenta sive bases, nempe inferiores partes, quibus innititur, quæ tamen in aqua unâ cum suis basibus movetus. Et quemadmodum ex eo, quod Cælo tribuuntur fundamenta in Scripturis, nollent adversæ sententiæ Patroni inferri, Cælum non moveri: ita & hic vox basis & fundationis nobis obesse non potest. Concidunt ergò sic tria Fulcra Fulleri, quibus nimis firmiter suam sententiam putavit fuisse stabilitam. Similia plane sunt quæ habet du Bois p. 30. Dialogi sui, ad quæ hoc responsum à Lectore poterit applicari. Cum enim nihil novi afferat, quod non in responsione ad instantias Fulleri fuerit sufficienter solutum, nolumus Lectorem inani repetitione gravare.

X X I I X. Obj. 6. Psal. 104. 19. *Feeit Lunam ad stata tempora, Sol novit occasum suum.* Matth. 5. 45. *Facit enim, ut Sol suus exoriatur super malos ac bonos, & pluit super justos & injustos.* Primum locum ita urget du Bois. p. 28. *Verum quidem est, hic esse Tropum, cum Soli cognitione tribuitur, qua tantum est facultas viventis; sed & hoc certum est, Soli cognitionem tribui, quia tam certus & ordinatus ejus est cursus, quam benè directa est actio eorum, qui omnia sua scientia & cognitione agunt.* Imò

Et in ipso Tropo argumentum habemus efficax pro motu Solis; nam qualiter ille, qui omnia sua ex cognitione agit, sese habet ad actiones suas, ita & Sol in ordinato suo cursu sese habet ad occasum suum: datur ergo actio quadam realis Solis circa occasum suum, propter quam agenti ex ratione comparatur: at si terrâ motâ Sol reverâ quiesceret, nullum esset fundamentum istius comparationis; ac per consequens invalidum esset argumentum Psalmis, ad probandam Dei gloriam ex luminaris illius ordinato occasum enim non Sol, sed Terra sese movens praberet medium probationis, cum tamē Psalmes illud non à Terra, sed à Sole desummat. Et quanam esset in eo probabilitas, quod in exaltatione operum Dei in Luminaribus Caelestibus, in uno referetur, quod ei reverâ inest, in altero, quod tantum apparent inesse? nam eo posito sequetur medium prius reverâ esse probativum gloria divina, posterius tantum apparenter. Ad alterum verò locum hæc p. 30. notat: In verbis D. N. I. C. hoc notatu dignum est, eum non alio modo loqui de Dei beneficio primo, quod Solem oriri faciat, quam de secundo, quod pluat. Atqui rō pluere necessariò intelligi debet de reali communicatione beneficij, & non merè apprensi. ergo & similiter rō facere oriri de reali & non merè appa-

apparenti collatione beneficii exponi debet.

XXIX. *Resp.* 1. Ortum & occasum Soli proprie non posse tribui art. 14. vidi-
mus, ibique agnoscendam locutionem vul-
garem ostendimus. 2. argumentum à com-
parisone Solis cum eo, qui omnia ex sua
cognitione agit est imbecillum: compa-
ratio enim illa ulterius extendi non debet,
quam hucusque, quod Soli occasus obtin-
gat non aliter, ac si cognitione præditus o-
mnia ad illum subeundum disposuisset. Or-
tus autem & occasus propriè loquendo so-
nant quid *Respectivum* & *Relativum* ad
Horizontem, quæ sive Soli contingant per
motum proprium realem, sive per Terræ
circumvolutionem, statu nihilominustem-
pore eveniunt, nihilque id instituto Psal-
mistæ obest. Nec si hic convenientia non
sit agentis ex cognitione & Solis in reali
actione, nullum propterea comparationis
fundamentum erit. tertium enim conve-
nientiæ erit in certitudine eventus, quod
quemadmodum ex consilio agenti certò
quædam eveniunt, ad quæ consilia sua di-
rexit: ita etiam Soli certò obveniat occa-
sus. 3. Psalmistæ scopus hic est, ostendere
ex operibus Sapientiam & Providentiam
divinam clucere, quod inter alia etiam ex-
emplis Lunæ & Solis declarat, quibus statis
temporibus occasus & ortus obtingant, &

præterea Lunæ variæ phases, novilunium, plenilunium, &c. & sic per utraque hæc gloria divina revera probatur, quod tam sapienter omnia ordinaverit, ut statis temporibus hæc illis contingant. Neque aliquid gloriæ Dei detrahitur, si dicatur: Soli occasum suum convenire per motum apparentem, illa enim ex eo elucet, quod Deus per leges naturæ cum fixum & certum constituerit. 4. non majoris roboris est argumentum ex Matth. 5. petitum: Agnoscō equidem Christum hīc beneficium utroque reale Dei Patris prædicare, pluviæ nempe casum & illuminationem Terræ calefactionemque Sole oriente: neque enim Solis ortus, quā talis, sed consequens ejus propriè beneficium Dei erga homines dici debet. Sed nihil impedit, quo minus hæc duo beneficia diversis modis hominibus obtingant, alterum per pluviæ casum in Terram, alterum per Terræ conversionem ad Solem.

XXX. Obj. 7. Eccl. 1. 4, 5. Generatio una abit, & altera advenit, quamvis Terra in seculum permaneat. Oritur Sol, & occidit Sol, iterumque ad locum suum aspirat, ubi oriatur: Hīc Fullerus sese invenisse putat, non quod pueri in faba, sed quia ejus Verba non nisi Rhetoricationes continent, ea adscribere nolui, ex responsione

sione verò nostrâ patebit, triumphi h̄ic nullam ei fuisse causam decantandi. Du Bois etiam p. 29. quædam argumenta ex hoc loco sibi videtur exculpere: *Hæc argumenta, Ecclesiastæ puta, procul dubio inferunt realem rerum mutationem, variationem & ad pristinum statum reversionem: ac proinde realem Solis ortum & occasum, & ad locum ortus reversionem, ac per consequens, non ex mera apparentia; nam ineptum esset tale argumentum, Sol mouetur oritur & occidit apparenter, secundum hominum opinionem, licet non reverâ, ergo datur rerum realis vicissitudo; at tum est argumentum optimum, cum verba de motu, ortu & occasu Solis reali intelliguntur.* Præterea, cum alia argumenta, primum, tertium & quartum desumantur à rebus in quibus realis, & non merè apparens vicissitudo inest, absonum erit statuere, secundum desumtum esse à subjecto, in quo merè apparens, & non realis inest vicissitudo. Denique & in ipsa voce adspirare inest vis ad idem probandum; nam constat similitudinem esse desuntam ab animalibus & præsertim equis currentibus, & rursus adspirantibus ad stabula, unde prius exierant: Hæc ergo sunt partes comparisonis, ut animalia se habent ad reversionem ad stabula, unde prius egressa sunt, ita & Sol se habet ad rever-

sionem versus locum ortus, unde prius prodierat; At si negemus realem, & statuamus merè apparentem Solis motum, inepta erit planè tota similitudo.

XXXI. *Resp.* 1. Hic locus benè expensis nobis itidem non obest. Scopus Salomonis est, ut ex v. 2. apparet, ostendere vanitatem esse in omnibus rebus, nihilque esse consistens firmum & stabile. Id probat ex obviis quibuscumque rebus; Versu tertio demonstrat hoc ex vanis hominum consiliis & laboribus; dein versu 4 ex vicissitudine generationis humanæ, quod uno generato, alter moriatur & decidat, amplificans hoc à contrario, quod Terra huic vicissitudini non sit obnoxia. Quemadmodum enim arborum folia veteribus decidentibus nova succrescunt, manente interim eadem arbore: ita & Terra quæ est quasi fulcrum omnium ipsi innitentium eadem manet, mutatis hominibus in ea viventibus. Quando ergò Terra dicitur in seculum permanere, non designatur Terræ situs vel etiam quies, sed duratio & perpetuitas, quod generationibus mutatis illa non ita sit mutationi obnoxia, quod etsi animalibus & hominibus vicissitudines generationis contingent, illa tamen non intereat, aliaque generetur, sed eadem perficiat. Versu 5. id porrò exemplo ortus & occasus

casus Solis declarat. Sed accommodat hic se se manifestè ad ea , quæ sensibus obvia sunt. Constat id primò ex eo , quia hic liber est populariter scriptus ἐξωτερογένες , teste Fayō in Ecclesiasten, secundò ex ipsis rebus, quibus veritatem probat, quæ sunt obviæ & communes , quemadmodum idem Fayus ad hunc versum expressè docet : *Hac à Salomone dicuntur ad vulgi opinionem ē& sensum paucis verbis :* tertio ipsum oriri & occidere Soli tribuitur non accuratè , sed secundūm apparentiam sensus, uti ad art. 14. declaravimus. *Vnde ē& Hebrai ponunt Solis ingressum pro occasu , quia sub Terras labi ē& condi videtur, Adventum pro ortu,* verba sunt Fayi adversum 4. Itaque hæc locutio vulgaris , oritur Sol & occidit, quā utitur Salomon nihil obest veritati nostræ sententiæ.

2. Argumentum Ecclesiastæ tale est: *Realis est vicissitudo in eo quod Sol nunc supra Terram conspicatur per ortum , nunc sub illa recondatur per occasum :* Sive autem hoc fieret propter Terræ sive propter Cæli motum nihil hic referebat. Ergo datur rerum vicissitudo.

3. Ecclesiastæ sufficiebat, si probaret vicissitudinem exemplis quibusdam obviis: quod inter alia fecit exemplo Solis ortus & occasus, neque opus erat , ut accuratè determinaret , cuinam subjecto inesset ista vicissitudo per motum

realem, num Terræ an verò Soli? interim nihil vetabat, quin hanc vicissitudinem locutione vulgari exprimeret, quæ eam motui reali Solis adscribit. 4. Huc spectat vox adspirare ad illam vulgarem no. locutionem explicandam, quod quemadmodum equi adspirent ad stabula, unde fuerunt egressi, ita Sol videatur adeò celeriter moveri, ut quasi contentionē quādam ad illum locum conetur redire, unde fuerat visus egredi. Ergo in eo tantum consistit comparatio: ut equi adspirant ad stabula, ita Sol videtur quasi contendere ad eum locum, unde fuit egressus.

C A P V T VII.

Objectiones reliquæ, quæ videntur à sensu & ratione deponi posse, refutantur.

I. **H**AECENUS Objectiones, quas ex Scriptura contra sententiam nostram vibrari vidimus, resolvimus, ostendo, non Scripturam rectè intellectam nobis adversari, sed sensum, quem contrariæ sententiæ patroni in Scriptura non reperiunt, sed illi inferunt. Atque ita remoram illam removimus, quæ unica multis videtur obstare, ne in hanc sententiam descendere possint.

Ipse

Ipse du Bois p. 3. existimat, questionem adeò esse disputabilem, ut si rationibus Mathematicis & Philosophicis certandum sit, quodlibetice possit defendi. Sed duæ restant adhuc remoræ præcipuae, quæ non minus alios movent, quò minus huic Sententiæ assentiri possint; quarum altera desumta est à testimonio visus, altera ex ratione, quibus sublati leves quedam restabunt Objectiunculæ breviter discutiendæ.

II. 1. *Objectio* à sensu desumta maximè movet homines vulgares, quorum præcipua notitia in sensu & ex sensu consistit, talisque potest formari: Solem moveri & circumire circa Terram, quotidiè sensu oculorum percipimus: At Terram moveri, nullus nobis sensus testatur: Ergò illud potius quam hoc nobis est credendum.

III. *Resp.* Non est, quod sensui admidum fidamus, cum propter illam magnam sensibilis remotionem nos facile fallere possit, præsertim ubi ratio contrarium planè docet, uti superius vidimus. Sensus verò neque Solem, neque Terram moveri nobis manifestum reddere potest. Apparentia enim sensus semper hic erit eadem, sive ipse visus, sive res visa moveatur. Adeoque quando nobis apparet Sol ex Cancro in Leonem, ex Leone in Virginem progredi, id duobus modis contingere potest, vel ut

Sol

Sol ipse respectu horum signorum mutet locum suum, & sub illis circumferatur, vel etiam ut Terra cum vortice suo usque ad Lunam (eâ acceptance quā supra annotavimus) locum suum ita mutet, delata à materia ambiente, ut spectator in Terra constitutus Solem nunc sub his, nunc sub aliis signis conspicere possit. Similis ratio est, si motum diurnum sive Solis sive Terræ spectes. 2. Sed ut illa fallacia visus tantò melius deprehendatur, consideremus eos qui navi, vel etiam curru vehuntur, quibus videntur littora, montes & arbores recedere; hinc Virgilius:

*Provehimur portu, terraque urbesque
recedunt,*

cum tamen illi ipsi, qui in navi sunt simul cum navi à Terra montibusque recedant, eaque respectu ipsorum reverā sint ut quiescentia spectanda, & cogitemus eodem modo contingere posse, ut nobis unā cum Terrā circumvectis videantur Sol & Astra recedere. Ponamus autem porrò hominem aliquem in navi esse natum atque educatum, neque unquam extra eam fuisse, aliunde etiam edocētum non esse, Terram & littora respectu sui ut quiescentia esse spectanda, is firmissimè persuasum sibi habebit, & vel Iovem lapidem jurabit, non navem, in qua est, à littoribus, sed littora à navi

navi recedere. Cum ergo nos ab incunabulis nostris in Terra vixerimus, neque unquam extra eam fuerimus collocati, non mirum est si Solem ad Astra adspicientes ea respectu nostri moveri putemus, nosque in Terra quiescente consistere existimemus. Idque tantò magis quod is, qui in navi ita consideratur natus & educatus, saltem si extra navim in Terra deponatur, hunc errorem suum etiam adminiculo sensus possit corrigere: nos verò hoc adminiculo simus destituti, nunquam in hac vita extra Terram collocandi. Inde ergo oriri existimemus, quod tam firma idea de motu Solis & astrorum per ista sensuum præjudicia nobis sit impressa, ut etiam postquam rationem contrarium edocentem audiverimus, vix tamen illam priorem ideam ejicere possumus. Quemadmodum etiam contingit circa magnitudinem Solis, cuius in nobis per sensuum præjudicia idea est impressa non major quam bipedalis. Quamvis enim postea rationibus Astronomicis evidentissimis edocti simus, Solem multò majorem esse ipsā Terrā, quoties tamen visu nostro solem iterum usurpamus, prior Idea semper recurrat. Non ergo sensum in tam ardua quæstione, sed rationem consulamus, quā si rectè uttamur (possimus autem si velimus) percipiemus Delationem duplicem non Soli, sed Terræ convenire.

I V. 2. *Obj.* At saltem sentiremus motum ipsius Terræ, dum cum ipsa circumvehimur etiam clavis oculis, quemadmodum navi vectus motum navis sentire potest. Nihil autem tale quispam hominum expertus est: Ergo Terra non movetur.

V. *Resp.* 1. Ex antecedentibus cognoscere licuit totum vorticem usque ad Lunam unâ cum Terra circumferri, cuius magna est quantitas, ut ejus diameter censematur esse 2000000 milliarium Germanicorum, non mirum ergo esse debet, si Terra in isto vortice delata non impingat cum reverâ in eo quiescat, uti superius est ostensum. 2. navi motus non sentitur, si planè æquabiliter deferatur, nec à ventis vel fluctibus concurtiatur, cum ergo & Terræ æquabilis sit delatio, quandoquidem nihil est, in quod impingere possit, fieri nequit, ut nos cum ipsâ delati motum ejus sentiamus.

V I. *Obj.* 3. Si Terra delatione diurnâ ferretur versus ortum, montes qui sunt ad occasum, dum unâ cum Terra deferuntur, versus Ortum viderentur adscendere. At Experientia nihil de eo docet: E.

V II. *Resp.* 1. Visus hoc æstimare non potest: montes enim non recedunt ab aëre sibi contiguo, sed unâ cum illo, immo cum toto Cælo usque ad Lunam circumferuntur. 2. visus illud in quo existit immotus

mo-

moveri non putat, ita si adspiciat navem, etiam si ab illa deferatur, moveri non putabit: quia ergo montes sunt in illa planicie, cui nos insistimus, dum à Terra deferimur, illorum delatio videri non potest.

VIII. *Obj.* 4. Si Terra ferretur versus Ortum ab Occasu, apparerent aves nubes aliaque in aëre suspensa rapidissimè semper ferri in Occasum, tanquam relictæ à nimio Terræ raptu. At hoc Experientia non testatur.

IX. *Reff.* neg. Connexio majoris, hæc enim omnia una cum Terra feruntur ab occasu versus ortum, neque à corporibus proximis & immediatè sibi contiguis recessunt, uti satis apparet ex eo, quod ostendimus, non Terram separatim, sed à vortice suo delatam, qui longè sese undique extendit, deferri. Quemadmodum autem pisces in scapha piscatoria aquæ plena & navi alligata, etsi huc & illuc discursitent, semper tamen cum navi transferuntur, ita etiam cogitandum de volucribus & nubibus in aëre motis, quod semper in & cum isto vortice transferantur.

X. *Obj.* 5. Si Terra hoc velocissimo raptu ab occasu in ortum deferretur, ventus ex opposito sentiri deberet perpetuus, quod experientia non docet?

XI. *Reff.* Procedit hæc Objectio, ut
&

& aliæ quam multæ ex falsâ sententiæ nostræ interpretatione, hoc enim sequi deberet, si Terra aëri circumjacenti surripereatur, at cum ille unâ cum omnibus corporibus à Terra usque ad concavum Lunæ circumrapiatur, nihil quicquam tale poterit consequi.

XII. Obj. 6. Sequitur altera remora ex ratione desumpta, contra delationem Terræ annuam speciatim objecta, quæ vel Sola multis viris doctis obest, ne hanc sententiam veram amplecti queant. Est autem illa, quod tum orbis magnus, in quo Terra circa Solem defertur, cuius Diameter secundum Copernicum continet milliaria Germanica 2000000 sit habiturus ad Firmamentum rationem insensibilis puncti, adeoque Mundi magnitudo in nimium sit excretura, & quasi infinita futura.

XIII. Refp. I. Hoc argumentum moveat eos, qui magnalia Dei nimis parva consueverunt concipere, eaque metiri volunt ad decempedam suæ imaginationis, quæ valdè est restricta, nec ulterius se extendet, quam ad concipienda illa corpora, quæ visus circumveundo lustrare potest. At sanè nos parum afficit hæc objectio, immò potius nostram sententiam confirmat, cum nos mundi fines nulos possimus cognoscere, mundumque ut indefinitum concipiamus,

uti

uti ex cap. i. potuit liquere. 2. Hominibus ex sensu Solo opera Dei judicantibus etiam absurdum videbitur, si dicas Terram, cuius Diameter continere dicitur $1718\frac{1}{2}$ vel etiam plura millaria secundum alios, rationem habere insensibilis puncti ad firmamentum collatam, sed Astronomi certa demonstratione aliter edocti hoc pro absurdo non habent, quod si ergo Firmamenti ambitum vel potius circumferentiam, in qua una aliqua stella fixa collocatur, longè ampliorem concipias, quam vulgo concipi solet (quidni enim posses, cum nullis certis demonstrationibus hactenus potuerit certa mensura ei assignari) etiam licebit illud punctum insensibile longè majus concipere. Imò amplius dico, non absurdum fore si statuatur, totum illud Planetarum Systema usque ad Saturnum, adeoque sphæram Saturni, quæ longè major concipi debet orbe illo magno, ad Firmamentum habere insensibilis puncti rationem. Cum enim nemo illam proportionem, quæ inter hæc intercedit, indagaverit, neque ullus indagare possit, si ad magnitudinem immensitatemque Dei attendamus, & secundum eam ipsius opera concipiamus, præstabit illa potius maxima, quam parva concipere. Quemadmodum autem argumentum Copernicanum à nimis veloci raptu firmamenti

menti desumtum ostendi infirmum esse, neque rem benè attendentem persuadere posse, ita idem iudico de hac Objectione, eamque ad magnalia Dei attendens tanquam leviculam rejicio.

XIV. At si orbita in qua Terra deferatur habeat rationem insensibilem respectu Firmamenti: Ergò Sol, qui in ejus centro collocatur, erit quāvis stellā fixā minor.

XV. *Resp.* 1. Nulla est Majoris connexio, fieri enim potest, ut stellæ fixæ habeant minorem circa se vorticem, quam Sol, atque ita sint minores: colligi enim potuit ex cap. 5. proportionem aliquam inter vorticem & centrum ipsius intercedere, sed nihil certi de eo concludi potest. 2. Neque Minor est absurdia, quis enim dixerit, annon stellæ quædam, quæ ob nimiam forte à nobis distantiam nobis videntur valdè parvæ, sint majores Sole. sed hīc nihil certi determinari potest.

XVI. Succedunt nunc aliæ Objectiones minoris momenti. Sit ergo Obj. 7. Si Terra delatione annuâ circa Solem deferatur, Sol non erit dicendus Apogæus, & Perigæus, si verò circumvolvit diurna circumvolutione, Sol non dicetur oriri & occidere, quæ omnia sunt absurdia.

XVII. *Resp.* 1. Astronomi receptas & vulgares voces non rejiciunt, etiam si acura-

curatores dari possint, quia reddere debent causas apparentiarum, quæ vocibus à vulgo receptis efferuntur. Absque hoc foret, non absurdum fortè futurum, si Terræ Aphelios & Perhelios diceretur. 2. Sol nihilominus oriri & occidere dici potest, quia sive Terra circa axem suum convolvatur, ita ut nunc hoc, nunc alterum hemisphaerium Soli obvertat, sive Sol Terram circumeat, tamen semper ei parti Terræ Sol dicetur ortus super cuius Horizontem fuerit elevatus, hoc enim ortus denotat, alteri verò hemisphaerio occidisse dicetur, sub cuius Horizonte latuerit.

XVIII. *Obj.* 8. Si Terra circa Solem deferretur, non futuri essent tales Planatarum aspectus, quales nunc sunt, Eclipses Solis & Lunæ, phases ejusdem non ita essent apparituræ, uti nunc apparent, quod utique absurdum esset futurum.

XIX. *Resp.* Negari connexionem Majoris. Nam harum omnium apparentiarum causas æquè, imò fortè melius explicare queunt Copernicani, quam Tychoniani vel Ptolemaici. Planetis enim Mercurio, Veneri, Marti, Iovi, Saturno & Lunæ motus non demitur à Copernico. Ergo quando percurrunt Zodiacum, sub quo etiam Sol è terra conspicitur, varias nihilominus habere poterunt configurationes, & cum Sole &

Ie & inter se invicem. Eclipsis verò Lunæ semper continget, quando Terra erit in eadem linea recta inter Solem & Lunam interposita. Solis, quando Luna inter Terram & Solem interjicitur, quæ omnia non minus fieri posse in Systemate Copernicano ac Tychoniano, luce meridianâ clarus est. Similiter Phases Lunæ ob circuitum, quem ea circa Terram conficit, sese eodem modo semper habebunt.

X X. *Obj. 9.* Si Terra deferretur circa Solem, ea inter Planetas erit referenda, quod oppidò quam absurdum multis videtur.

X X I. *Resp.* Absurdum fortasse erit illis, qui nominibus potius quam rebus inhærent, & ex illis potius scientiam suam consarcint, quam ex ipsis rebus. Cùm enim putent planetas, Venerem, Lunam, &c. nos propter propinquitatem plus vel æquè aut saltem non multò minus lumine suo afficer, quam multas stellas fixas, vix ullam differentiam inter ipsos & stellas fixas imò & Solem ipsum quoad Lucem agnoscant. At qui ultra voces adscendere amant & potius penetralia rerum scrutari volunt, quam vocabulorum apicibus inhærere, illi nōrunt magnam inter Planetas ab una parte & Solem atque fixas ab altera esse differentiam, quod illi sint corpora opaca, nullam lucem insi-

infatam habentia, sed tantum eam, quam à Sole acceperunt, reflectentia, & cum cælestium eadem sit materia quæ Terrestrium, & simili modo reliqui Planetæ sint formati, quo Terra, uti ex demonstratione nostra cap. 5. proposita colligi potest, nihil absurdum erit, si Terram in eodem ordine collocemus.

XXII. At Lentulus p. 300. & 301. Novæ Sapientiæ multis hanc sententiam sibi premere videtur argumentis, quæ breviter perstringemus: *Cum stellæ omnes sint vel errantes vel inerrantes, planetam esse non persuadebis, nisi stellam esse constiterit.* Stellarum autem numero terram comprehendendi, tam peregrinum rationi est, quam quod maximè. Stella sibi & orbi lucent, idque noctu maximè. Terra nisi luce cælestium corporum detegatur, tenebris demersa latet: nec unquam navigando Terram è longinquo videre potui, nec sideribus Cali absconsis unquam ea nobis lucebat. quin & ne impingeremus in eam incauti, si propinquam esse suspicaremur, timebamus. Stellæ cum Calo devehuntur, & in eo esse ab omnibus creduntur. terra quam maximè Calo opposita est & locutione hominum & Sacra Scriptura & testimonio. vel principem apicem eorum lege. In principio creavit Deus Calum & Terram. Et hoc respectu sapè divini Ora-

culo Verbi & eorum terra, calum & appellatur. & ut inter res remotissimas comparatio inde sumitur Psal. 103. Stella & omnia Corpora celestia fluida sunt & subtilia: terra crassa arida & tactui resistens. inde & ab ariditate quasi proprio nomine insignitur. Gen. 1. 2. Terra hominum & belluarum habitationi data est, planeta nullis incolis frequentantur, & explosa jam diu veterum quorundam opinio est, ad Luciani veram historiam aleganda, Lunam arboribus, aquis stagnantibus & profluentibus, montibus & hominum cultu esse habitabilem. 3. Calum esse negat, ad quod adspiramus, qui Terram inter planetas numerat. aut jam sumus in Calo, si Terra est inter planetas. aut ne planeta quidem & stelle & Sol ipse in Calo fertur, atqui ita Calum in nuda verbi appellatione, figmentum vanerationis, non in rei veritate subsistit. 4. Scriptura Sacra hac opinio, quam maximè adversatur. Scommata, quæ hac occasione in Cartesium jaetat, lubens præterea, nec enim par pari referre est animus.

X X I I I. Resp. Qui benè consideraverit demonstrationem meam cap. 5. propositam eamque cum Cartesio lib. 11 & 111 Princiorum contulerit, has Objectiones ne responsione quidem dignas judicabit. Ne tamen triumphum ante Victoriam Lentulus,

lus, uti confuevit, canat, pauca hæc regerere
lubet. Ad primam Objectionem velim no-
tari, hoc argumentum oppidò quam imbe-
cillum esse, prolixè ex Logica *ἀναγνώσκειν*
ostendi posse. Divisio enim stellarum in er-
rantes & inerrantes vulgata, cum sit Gene-
ris in species, debet necessariò ex ipsis spe-
ciebus sive particularibus suum fundamen-
tum habere, cum Genus colligatur ex spe-
ciebus, species ex Individuis, uti omnes fe-
rè qui Doctrinam Vniversalium tradunt,
docent. Ergo prius constare debet, Plane-
tas esse Stellas, quam ex hac divisione ali-
quid queat inferri, ad quod natura Planeta-
rum debet esse cognita, atque perspecta.
Quo facto facile sciam, an Terra sit inter
Planetas referenda, prout cum iis vel con-
venire vel non convenire comperero. Ma-
nifesta est ergo in hoc argumento petitio
Principii. Dein luditur in voce stellæ: Si
per stellam intelligitur id, quod Lumen a-
liquod præbet de se aliis corporibus sive
proprium sive reflexum, Planetas esse stel-
las non negabo. Sed si vox stellæ non nisi iis
corporibus convenit, quæ lucem habent
propriam insitam, quam de se emittunt,
manifestum erit hos inter stellas non esse
referendos. Quibus observatis sequentia
suâ sponte concidunt. Quemadmodum
enim Planetæ reliqui Luna imprimis Ve-

N 2 nus, &c.

nus, &c. lumen ad Terram reflectunt à Sole receptum : ita vicissim Terram lumen ad Lunam & aërem reflectere nimis quam est notum ; tenue enim illud lumen , quod aliquando in Luna nova conspicitur , non aliunde quam à Terra provenire judicandum , & communiter Physici infimam aëris regionem determinant ibi, ubi radii Solares à Terra reflexi ita deficiunt & languent , ut calorem aëris sensibiliter augere amplius non possint. Ut in tirone Phylicæ vel Astronomiæ non sit ferenda illa argumentatio : Terra noctu non lucet E. nullum lumen reflectit. Cui enim nullum habeat Lumen insitum , non potest lumen reflectere , nisi præsente Sole , à quo recipit , quemadmodum & Luna tempore Novilunii lumen à Sole ad nos non reflectit , quia à parte nobis obversa , tum non est illuminata. Cui genuina est illa p. 303 , qua ex eo , quod à Terra , ne vicina quidem maria , delitescentibus celo sideribus , àd dispellendas noctis tenebras scintillam ullam lucis accipiunt , inferre vult : Lunam in Novilunio non recipere lumen à Terra reflexum , ignorans quod Novilunium fiat in Lunæ cum Sole coniunctione , eaque non noctu sed interdiu conspici debeat à Terra lumen reflexum debile recipiendo. Sed profectò , qui talia capere non potest , à Cartesii im-

pugnatione cuius profundam doctrinam omnes Cordati mirantur, abstinere debuisset. Terram porrò à Materia Cælesti devehī ex mea demonstratione liquere potest, sed propterea non est ipsum Cælum, eique nihilominus opponi potest, quemadmodum & Sol & Planetæ possunt. Cæli verò vocem variè in Scriptura sumi, nimis quam notum est, ut non absurdum sit, si quodam sensu Terra in Cælo esse dicatur, quatenus aëre fluido, qui nomine Cæli etiam venit, circumcingitur. Quomodo Cælum dicatur $\Theta\Phi\Theta$, Terræ verò imum tribuatur, liquere potest ex art. 24. & 26 c. z. hujus Dissertationis. Tertia etiam differentia quam inter stellas & Terram constituit, nobis nihil quicquam obest. Agnoscimus stellas fixas esse corpora fluida & subtilia, sed planetas opacos esse ex luminis reflexione patet. Nec igitur Terram in numerum stellarum fixarum referimus, sed ut pro Planeta habeatur, absurdum esse non putamus.

X X I V. Ad secundam Objectionem respondeo 1. sufficere si Terra in luminis reflexione adeoque opacitate, ut & motu circa Solem, uti demonstratum, cum Planetis conveniat, ut ad censum Planetaryrum redigi possit. 2. an verò Luna arboribus, &c. Sit referta, non constare dicimus,

sed tantum quod partes quasdam habeat altiores, quasdam depressores, impossibile tamen esse aut omnino absurdum non judicamus, malumus vero ab eo determinando abstinere, quia nullæ sufficientes rationes vel hoc vel contrarium evincunt. Ad tertiam Objectionem: Si Cælum pro aëre sumatur, nos omnino jam esse in cælo, sed non propterea in Cælo beatorum, ad quod adspiramus & in quo Terram esse negamus. Ad quartum, hanc sententiam nostram Scripturæ Sacræ non adversari, partim in priori Dissertatione in genere, partim in posteriori cap. præcedenti abundè demonstravimus.

XXV. *Obj. 11.* Contra Terræ delationem talis profertur. Si Terræ competit motus circularis sive is sit motus conversionis diurnæ circa proprium axem, sive etiam annuus circa Solem, hujusmodi motus deberet ei esse naturalis, & ab interno aliquo ejus principio provenire. Neque enim explicari posse videtur à quoniam principio externo iste motus efficiatur, nisi ad causam primam, Deum videlicet vel intelligentiam aliquam hunc effectum referamus. Non potest Terræ esse naturalis hic motus, quia corpori simplici unus tantus motus convenire potest, qui cum rectus sit Terræ conveniens, non potest alijs quipiam

piam ei attribui. Vrgetur istud argumentum hoc modo à Gerhardo de Neufville, Philosopho dum viveret acuto, qui si solidiora Principia habuisset, magni quid fuissest præstiturus, in disputatione primâ (quam an plures fuerint subsecutæ me latet) quâ Terræ delationem evterere conatur.

X X V I. *Resp.* Varia in hoc argumento sunt notanda. 1. Motus circularis qui Terræ tribuitur, vel potius delatio potest dici Naturalis, si consideretur ei convenire secundum ordinem & leges naturæ, uti à nobis demonstratum, & lic omnis motus naturalis dici potest: Non naturalis, quatenus pendet a principio externo, nempe materia Cælesti ambiente, & sic iterum, omnis motus non-naturalis dici potest: cum nihil quicquam à se ipso moveatur. Alium autem motum naturalem, qui conveniat corpori ex sua natura eique sit insitus, non admittimus. Talem enim motum insitum nullum esse ex cap. 4. hujus Dissertationis cognosci potest. Formas etiam aliquas substantiales realiter distinctas à materia in aliis corporibus, præterquam humanis, dari negamus, quod ut prolixius demonstremus, non est hujus loci. 2. Corpori cuilibet simplici, si separatim ab aliis corporibus consideretur, competere, ut à centro

sui motus secundum lineam rectam rece-
dere conetur prop. 9. cap. 5. demonstravi-
mus, sed propter alia corpora circumstan-
tia fieri potest, ut in circulum feratur, id-
que eatenus etiam ipsi est naturale, quatenus
secundum leges naturae ei contingit.
3. Terram esse corpus simplex facilius asse-
ritur quam probatur, oriturque haec opini-
o ex illa fictitia compositione omnium
corporum ex quatuor elementis vulgo ita
dictis, Igne; Aere, Aquâ, Terrâ. Terra ve-
rò ex pluribus partibus heterogeneis con-
sistit, quam vel plumbum vel lapis. 4. Ter-
rae rectum motum per se competere, alio
scnsu quam quatenus circulariter delata à
centro sui circuli semper recedere conatur,
non admittimus. *Inß.* At dicas: Motus qui
partibus Terrae competit, etiam toti Ter-
rae convenire est censendus: At motus re-
ctus deorsum ad centrum Terrae partibus
competit: Ergo etiam Terrae naturaliter
convenit motus rectus. Inde enim Terrae
partes hunc motum rectum obtinent, quia
cum Toto naturam communem obtinent.
Reß. Motus ille, quo tanquam gravest ter-
rae partes tendunt deorsum, non competit
ipsis ex principio aliquo insito, sed quod
Globuli caelestes in Terra impingentes un-
diquaque, dum ab ea resiliunt, corpora qua
in aere inveniunt, ut sibi spatium à Terra
rece-

recedendi faciant, versus illam deprimunt, ut id à Cartesio Princip. iv. art. 20. & seqq. uberius demonstratur. Hic ergo idem Motus non potest ipsi Terræ competere, sed alius quispiam, quo si extra suum locum posita esset, sive versus Solem proprius, sive ab ea remotius, semper ad hunc locum, in quo nunc est, esset depellenda ex prop. 26. cap. 5.

XXVII. Obj. 12. Si Terra moveretur motu adeò rapido, ut spatio 24 horarum circa axem suum convolveretur, vendrum ne illa per hunc motum dissiparetur, ædificia corruerent, Turres conquafarentur, crescentia hoc motu impedirentur & destruerentur. Du Bois hoc argumentum latius deducit p. 46. *Nihil est, quod facilius sub intellectum nostrum cadit, quam quod illud debet esse quietum, in quo homo, aliaque animalia vivent, movebuntur & actiones suas peragent: prout multò commodius in Terra firma ambulamus & nostra peragimus, quam in navi celerrime mota: contra verò, quomodo Terra tam rapide motu duplici acta commodum possit exhibere hominibus, aliisque habitaculum, hactenus, qua mea est stupiditas, quicquid dicant Galileus & Lansbergius aliique Copernicani, percipere non potui: & hac occasione rationem meam paucis aperiam. Motus*

tum tribuunt Terra duplēm, Diurnū & Annūm. Diurno semel circumvolvitur terra spatio 24 horarū: ambitus autem Terra est milliarium 5400, quorum quindecim uni gradui correspondent, qua ferè & equalia sunt viginti milliaribus horariis, quorum unum cum virgis 1600 fere convenit. ita ut ambitus Terra comprehendat milliaria horaria 7200: qua si in horas 24 dividantur, palam erit habitatores sub Äquatore spatio horario ab ortu in occasum moveri milliaria 300 & scrupulo primo milliaria 5. scrupulo autem secundo, id est, puncto temporis, Virgas 133. Sed & hic motus exiguus respectu ejus quem spatio annuo in Zodiaco absolvere debebit. Semidiameter enim orbis magni Terra comprehendit, ex sententia Lansbergit, Vranom. p. 122, 1498 cum dimidio semidiametros Terra, id est milliaria 1717155. & per consequens totus diameter 3434310. unde porrò liquet ex proportione Diametri ad circumferentiam, ambitum magni orbis esse milliarium horariorum 10789193. qui si dividantur in dies 365. hor. 5-49 habebitur motus diurnus in Zodiaco milliar. horar. 29539, eritque motus unius hora milliarium 1230 & scrupuli primi milliarium 20, secundi autem Virgarum 533, qui motus rapidissimus cum quiete hominum & animalium in terrā

terrâ degentium, ambulantium, quiescentium &c. meo judicio est irreconciliabilis.

XXVIII. Resp. Nihil est in nostra sententia hic periculi. Si enim statueremus omnia spatia circa Terram, quæ ab ipsius materia non occupantur, nihil continere nisi corpus, quod motus aliorum corporum nullâ ratione impediret nec juvaret, tum quidem futurum esset, ut propter circumvolutionem Terræ circa suum axem, illæ omnes ejus partes quod sibi mutuò non essent firmiter alligatae, hinc inde versus cælum dissilirent: Eodem modo, quo videre licet, dum turbo gyrat, si arena supra ipsum conjiciatur, eam statim ab illo recedere atque in omnes partes dispergi uti Cartesius docet Princip. i v. art. 21. At cum nostra sit sententia, Terram in vortice tanto, qui se extendat usque ad Lunam, deferri, tum annuâ delatione circa Solem, tum diurna circa proprium axem, globulosque cælestes omnia corpora gravia versus Terram deprimere uti art. 20. Cartesius Princip. i v. ostendit, quomodo motus hic quieti animalium, ædificiorum, crescentium in Terra, &c. obesse possit non video. Terra enim planè quieta cum omnibus corporibus usque ad Concavum Lunæ circumfertur, uti sæpius sententiam nostram hanc esse testati fuimus.

X X I X. *Obj.* 13. Si Terra deferretur dupli delatione, tum nullum corpus aut sursum emissum, aut supernè demissum ad perpendiculum caderet, si dum volaret in aëre, locus Terræ subduceretur: quemadmodum emissâ Sagitta, dum navis transfertur, ad perpendiculum non recidit.

X X X. *Resp.* 1. Supponitur, ac si nostra Sententia esset, Terram ab aëre separatam propriè moveri. Cum ergo dicamus Terram in suo vortice deferri, cogitandum est, etiam omnia quæ in isto vortice continentur, simul deferri. Quare delato Terræ loco, è quo sagitta emittitur, etiam ipsa sagitta emissâ in aëre motu communis istius vorticis circumfertur, unde fit, ut perpendiculariter recidat. Quod si verò Sagitta quædam transmitti posset ultra Lunam, illa quia non communis vorticis delatione deferretur, si recideret in Terram, ad perpendiculum utique delapsa non esset. 2. Experimentum adductum aliter se habet. observatum enim Sagittam è puppi emissam, in eam recidere, quod exinde contingere potest, quod navis suum motum toti circumstanti aëri imprimat, qui sagittam simul defert, ut ita delapsa in eundem recidat locum. 3. quamvis experimentum in Objectione propositum ita se haberet, attamen nobis non officeret, cum navis

navis reverâ moveatur, sed Terra in vortice suo delata reverâ quiescat. 4. motus lapidis projecti ad Terram, vel etiam sagittæ emissæ motus versus Terram non exactè est rectus & per lineam rectam, sed potius fit per lineam parabolicam, quia interim, dum ad Terram lapis vel sagitta deprimitur, defertur à vortice Terræ. Apparet tamen omnibus rectus, quia non animadverunt eam delationem, per quam unâ cum Terra circumferuntur, quemadmodum etiam accidit navi vectis.

XXXI. Obj. 14. Si Terra circumvolvetur ab occasu in ortum, tum globus bombardicus versus occasum emissus longius tenderet: subduceretur enim interim ipsa machina: is verò qui versus ortum exploderetur, brevius ferretur, quia machina cum consequeretur. quæ omnia cum experientia pugnant.

XXXII. Resp. 1. Nulla est in Maje-
re Connexio Antecedentis cum consequen-
te. Nam Globo versus occasum emisso,
quantum ei subducitur Machina, tantum
etiam ille globus versus machinam à motu
communi vorticis repellitur: & contra
globo in ortum exploso, quantum machi-
na subsequitur, tantum etiam additur de-
lationis globo à vortice Terræ. 2. Quod si
Minor negaretur, ea experientiâ probari
O non

non posset; (quamvis si Terra propriè moveretur, hoc est, ab aëre vicino separaretur rem ita se habituram, ut Minor ponit, per rationem colligi posset) esset enim hæc differentia celeritatis insensibilis, cum 2 temporis minutis cum milliare absolvere compertum sit.

XXXIII. Hæ sunt Objectiones, quas nobis contra hanc sententiam prolatas videre contigit, nunc Corollarii loco addam refutationem eorum quæ Lentulus porrò contra hanc sententiam depromit. Deprehenduntur autem illa p. 307. Novæ Sapientiæ. *Observandum*, inquit, 1. Terram in calo suo esse ex Sententia Cartesii, ut Planeta suo quique Calo volvuntur. 2. Navis exemplum magis evertere motum Terra, quam stabilire. Si quidem navis malaciam deprehensa, nec ventis ullis aut remis propulsâ, et si in latus interdum concutiatur, nihil tamen aut parum admodum progreditur. 3. Si Terra suo Calo circumfertur, planetæ suo, & Sol, qui Cartesio inter stellas fixas: frustra à Iosua Sol stare jussus, & Luna quiescere, si Terra nihilominus calo sui motu rapta est, nec diei statum & quietem morata. Sed Scriptura ad opinionem vulgi non ad rei veritatem Cartesio judice loquitur. ideoque hoc & similia facta non urgemus. 4. Si Terra suo in Calo quiescit, alieno

alieno tantum motu delata, Sole in medio mundi quiescente, circa quem omnes planetarum orbis in gyrum torqueantur: altera pars Terrae nunquam à Sole aversa, perpetuo die fruatur, altera eidem semper aversa, nocte sempernā premetur. quod ratio experientia secus esse docet. s. Mercurium tribus mensibus cursum suum absolvere, contra Astronomorum circa phenomena observationem est quod tamen fieri non miratur si interiori propè Solem gyro vertatur.

X X I V . *Ref.* In primo quo observari vult, nihil esse absurdum jam antea art. 21. est evictum. Ad secundum considerandum, Cartesium exemplo navis, nullis remis nec ventis impulsæ, nec anchoris alligatae, quæ in medio mari possit quiescere, certi forte aquæ ingens moles occulto cursu delabens ipsam secum feratur, ad ostendendum, delationem cum quiete corporis de- lari non pugnare. Supponit autem illam, navem deferri vel à mari æstu marino defluente, vel à mari tendente versus ortum, quod ex eo deprehenditur, quod magnæ navigationes sint multò tardiores, & difficultiores versus partes Orientales quam Occidentales, vel collocaram effe etiam in quibusdam maris angustiis, in quibus aqua semper fuit versus occiduum. Ad tertium respondimus cap. vi. Notamus tantum

O 2 nullibi

nullibi dicere Cartesium, *Solem circumferri suo calo*, quin contrà Solem esse causam circumvolutionis sui Cæli circa se, dum circa axem suum circumvolvitur, discere potuisset ex art. 84. Princip. III. In quarto & quinto ostendit, quam parum sit aptus ad congressum cum Cartesio, cum tam leviter res Astronomicas & Physicas, etiam vulgo notas, habeat perspectas. Nonne enim omnes qui Copernicanam Sententiam habent perspectam non runt, ipsum statuere, dum Terra circumvolvit circa suum axem, fieri, ut nunc hac pars nunc altera die aut nocte fruantur? quæ cadem est Sententia Cartesii & nostra quam hic defendimus. Similiter, nonne in confessu est apud Astronomos nunc ferè omnes, Mercurium tribus mensibus circa Solem cursum suum absolvere. Ipse Tycho & omnes qui eum sequuntur hoc statuunt, idque cum phænomenis beneconvenire agnoscunt. Vnicum cito Gafsendum (nec enim plures in re adeò nota luber aperire) qui Inst. Astronomicarum c. 12. in quo Tychonianum sistema mundi describit, ita loquitur: *Ahabac*, (statuit scil. Tycho) *Quinque stellas errantes motus speciales circa Solem tanquam circa centrum obire, Mercurium scil. trimotorem, Venerem optimo rem, Martem biennem, Cœ.*

Sed

Sed fortasse non assurrexit Lentulus ultra levem quandam cognitionem Systematis Ptolemaici, (quod quidem nunc ab omnibus ferè Astronomis rejicitur , propter multifarias absurditates) in quo Mercurius & Venus codem ferè tempore cum Sole cursum suum statuuntur circa Terram absolvere ; quī tamen tam audacter proclaimare possit , id esse contra Astronomicorum circa phænomena observationes , satis nequeo mirari ! Cartesius autem quando dicit art. 31. Princip. 111. circuitum suum tribus mentibus absolvere expressè circulus circa Solem mentionem fecit.

X X X V. Arque ita etiam huic Differ-
tationi Finem imponere placet. Lectorem monoco , ut hæc quæ à me demonstrata sunt , sine præjudicis & affectibus velit perpendere , non diffidens , quin veritatisbus his , etiam si multorum premantur Ca-
lumniis , & variis absurditatibus graven-
tur , postquam eas viderit tam clare esse demonstratas , absurdaque omnia remota , assensum sit accommodatus . Quod si ve-
rò Responses ad Objectiones vidcantur fluere ex aliis Principiis , quam vulgo re-
cepis , nec tamen à me omnia demonstrata inveniat , sciat hoc operis institutum pati non potuisse , & mihi satis fuisse , quod Ob-
jectiones adversariorum enervaverim , eas in-

306 CHRISTOPH. WITTRICH.
invalidas planè esse demonstrando. Quod
si non gravetur Cartesii in hanc rem edita
Meditationes & Principia cum attentione
accuratâ pervolvere, non dubito, quin ca-
omnia, quæ in objectionibus resolvendis
à me sunt assunta, tñ ibi demonstrata re-
perturus.

FINIS DISSERTATIONIS
POSTERIORIS.



96.

1868

P R A E F A T I O

A D

L E C T O R E M.

IN Perverso hoc Terrarum
Orbe, Benebole Lector, Dia-
boli procul dubio omnis Ve-
ritatis osoris instinctu, quam
sæpissime contingere solet, ut ea gra-
vissimis calumniis impetratur, onere-
tur & prematur. Cum enim veritas
se se facile suâ luce mentibus ingenuis
insinuet, nihil dolosus Cacodæmon po-
tuit invenire aptius, ad majorem ejus
cursui remoram injiciendam, quam si
larvis mendaciorum & absurditatum
dedecoratam mundo exhiberet, ut sic
odiosam & invisam redderet. Ad id pro-
bandum, non opus est ut longè abeam,
& exemplis ex historia antiqua petitis
utar. Expertus est proximè superiori-
bus annis Renatus des-Cartes Nobilis
Gallus, & etiamnum quotidie verita-
tes ab ipso detectæ experiuntur. Is na-

P R A E F A T I O

turæ à Deo sibi concessæ singulari felicitate , postquam in Matheſi tantos feciſſet progressus , ut in resolvendis etiam diſcicillimis Mathematicis quæſtionibus , hactenus pro insolubilibus habitis , omnibus palmam præripuiſſet , & tantope- re ingenium ſuum Mathematicis diſciplinis perſeciſſet , ut mundus parem in hoc non cognoverit , adverſariiſ ipſius id fateri coactis , animum applicuit ad Physicam firmioribus fundamentis inae- diſicandam , quam quibus hactenus ni- xa fuifſet , feliciter etiam perſecit , eo- que nomine apud harum rerum aſtimatores veros famam ingentem acquiſi- vit , ut non tantum à Rege Gallie an- nuo honorario auctus , ſed etiam ab Ar- ctio Orbis Reginâ in colloquium enixè fuerit deſideratus , & Iuſtrissima Eli- ſabetha Friderici Bohemia Regis & Ele- ctoris Palatini filia natu maxima Ope- ra ejus accuratâ diligentia rimari fue- rit dignata , eoque nomine Authorem gratioſo favore proſecuta . Non tulit id Invidia , ſed cum directe cum oppugnare nec

AD LECTOREM.

nec posset nec auderet , variis molimini-
bus & artibus ejus famam conata est
denigrare , nec in eo acquievit , quod
ipsius personam graviter læserit ; verum
etiam sententias ejus verissimas multis
absurdis & calumniis gravare non eru-
buit. Et postquam partim falsas senten-
tias ipsi affinxisset , partim veras per-
versè & contra mentem ipsius detorsif-
set , eas tanquam Cartesii conata est
impugnare. Contempsit hæc ab initio Vir
Generosus , sibi persuadens , tandem pro-
priâ sponte in fumum esse abitura. Idem
aliquando judicium fuit eorum , qui ve-
ritatem puram ex ipsius fontibus hau-
serant. Sed præter spem evenit , ut per
hoc silentium calumnia vires eundo ac-
quisiverit. Quia enim illi , qui contra
Cartesium insurgere fuerunt ausi , pro
viris bonis vulgo habebantur , plurimi
non dubitarunt , quin sententiæ , quæ
ab illis ut Cartesii impugnabantur , &
tanquam absurde , hereticæ , blasphe-
mæ , ridiculæ , insanæ , &c. traduce-
bantur , ejusdem essent. Vnde factum

P R A E F A T I O

est, ut à multis Viris bonis, tam Theologis, quam Politicis, quibus ob functionum Ordinariarum onera non licuit, Cartesiana examinare, fides ipsius adversariis fuerit adhibita, adeoque Cartesius vulgo Atheus, Scepticus, hereticae & insane Philosophiae author fuerit habitus, Cartesiana etiam dogmata similibus titulis quibus eorum author fuerint insignita. Quemadmodum ergo qui olim aliquem Lutheranum aut Calvinianum vocitabat, putabat summæ ignominiae notam se ipsi inussisse: ita nunc, qui Cartesianum quem proclamat, sibi videtur compendio quasi omnia convicia in ipsum ejecisse. Discipuli ergo Cartesii, cum ipse ingrato mundo nimis mature esset ereptus, videntes quid adversarii machinarentur, judicarunt sibi nunc veritatis in majorem Dei gloriam propagandæ caussâ, incumbere, ut hanc nebulam, quam prius putaverant sponte suâ evanituram, aliter experientia nunc edocli, discuterent, ne in nubem condensata, tandem graviorem tempestas-

AD LECTOREM.

pestatem excitaret. Id fieri cæptum est à Clarissimo & Acutissimo Philosopho, Dn. Tobia Andreæ Groninganae Academiæ Professore Celeberrimo, Præceptore olim nostro honoratissimo; ut & superiore anno à Clarissimo Viro, Dn. Iohanne Claubergio, Collegâ nostro in hoc Lycéo, ut & antehac Herbornæ, conjunctissimo, porroque fiet ab iisdem, & fortè ab aliis, quos Deus ad eam rem excitabit. Præcipua autem ferè inter sententias Cartesii Physicas, quæ absurdorum luto etiamnum adspergitur, est, de Terræ delatione circa Solem annuâ & circa axem proprium diurnâ, quam ipse dextrè expositam post Copernicum, qui eam diu sepultam resuscitaverat, asseruit Mathematicâ demonstratione certissimâ & evidentissimâ, cui contradici, nisi ab iis, qui eam non capiebant, hactenus non potuit, neque unquam poterit. Et quia à sententiæ istius defensoribus ad loca Scripturæ, quæ contra eam objiciuntur, respondere solet, Scripturam loqui de his rebus

P R A E F A T I O

secundūm vulgi opinionem ex præjudiciis sensuum decernentis, id denuo tanquam inauditum, impium & omnem Scripturæ autoritatem evertens, fuit exceptum. Putavi ergo opera pretium me facturum, si has duas quæstiones, alteram de Terræ delatione dupli, alteram de Scriptura secundūm vulgi opinionem de rebus Physicis sèpius loquente aliquanto prolixius tractarem, & ab absurdis per adversarios objectis has verissimas sententias liberarem, quod hactenus à nemine satis accurate videbam præstitum. Nec enim Copernici defensores potuerunt hucusque tam perspicuè sententiam de utrâque Terra delatione demonstrare, quam Cartesius certioribus Physicæ locatis fundamentis fecit. Et quamvis Objectionibus adversariorum satisfecissent, & ad eas quæ ex Scriptura petebantur refutandas ostendissent, hanc secundūm opinionem vulgi sermonem inflectere, istam tamen generalem sententiam nec argumentis nec exemplis Scripturæ evidenteribus

AD LECTOREM.

tibus comprobârunt, uti à nobis est factum. Occurrentum autem in primis fuit Revio & Lentulo, qui videntur laureolam aliquam quæsivisse, in his sententiis Viri Sapientis & Innocentis arrodendis, & tanquam blasphemas & impias proponendis. Qui quanquam graviter satis inventi essent in Cartesii famam, multisque personalibus injuriis eum affecissent, iis tamen nolui par. referre, sed satis mihi visum, si tela Cartesii capiti intentata removerem, sperans lectorem quemcunque inde quidquid porro injuriarum in Cartesium fuerit conjectum, esse amoliturum. Postquam fere ad umbilicum has Dissertationes deduxisset, in manus inciderunt duo tractatus; alter à Clarissimo Dn. Schoockio conscriptus, de Scepticismo, alter à Iacobo du Bois Ecclesiaste Leidenensi, cuius titulus: Dialogus Theologico-Astronomicus, &c. In Tractatu Dn. Schoockii cum invenirem integro capite prioris Dissertationis meæ materiam ventilatam,

P R A E F A T I O

judicavi , conveniens fore , quia ex professo Sententiam illam , Scripturam loqui de rebus naturalibus secundum opinionem vulgi erroncam defendere , & ab absurdis objectis liberare proposueram , ut & illa argumenta , quæ à Clarissimo Viro contra hanc sententiam videbam prolata , refutarem , & Dissertationi meæ inservirem . Quod ille non agrè feret , cum nullâ injuria hoc pacto eum putem esse affectum . Quanquam enim eum Preceptorem in Philosophia Aristotelica agnoverim , & etiamnum eo nomine gratias agam , tamen cum semper veritas magis amica debeat esse , quam vel Socrates vel Plato vel quisquam aliis , non reor illicitum mihi fuisse , ut ab ejus sententia , ubi illa à veritate recedit , secessionem facerem . Non umnia Iacobi du Bois , quæ ab ipso contrà Galileum & Lansbergios fuerunt allata refutavi , quia multa spectabant peculiaria quedam eorum argumenta , quæ mea non facio . Sed & quadam , et si

A D L E C T O R E M .

et si contra nos facerent , quia jam ante a , utpote ab aliis similiter objecta refutaveram , nolui denuo per expressam ipsius verborum Citationem refutationem repetere . Certus interim nihil quicquam ab ipso Objectum in genere hanc Sententiam & non specia- tim hos Authores spectans , cuius re- futationem in hoc tractatu non sit re- perturus . Studui ubique modestiae , ne ulli occasionem darem convitiis me im- petendi , id quod , prob dolor , nimis quam inter eruditos hodie obtinet . Cui ergo visum fuerit haec nostra argumen- tis resellere , intra modestiae limites se continens , me expectabit vel placidum meorum defensorem , vel , si me alicu- bi errasse & titubasse ostendere possit , accuratum errorum commissorum cor- rectorem . Sin contrà plausta convi- torum aliquis in me conjicere volue- rit , sciat me contra ea Marpesia cau- te firmiorem constitutum , nihilque ta- libus motum iri , ut propterea vel à veritate latum unguem recedam , vel simi-

P R A E F A T I O

simile studio honestatis insuper habito, rependam. Cæterum Ordo in hoc scripto observatur, qualis in Polemicis observari potest, unde fit, ut aliquando ablegem lectorem ad sequentia, & in objectionum refutatione non omnia Principia, ex quibus fontes solutionum depromo hic demonstrem, quod nimis prolixum fuisset, nec huic Tractatui conveniens, neque absolute requiritur à Respondente, cui sufficit, si tela adversarii sui enervarit, & inutilia rediderit, quod à me factum existimo. At argumenta pro mea sententia allata sufficienter explicui, usci, & ab Exceptionibus vindicavi. Ad delationem Terra utramque probandam, non putavi opus esse, ut multitudine argumentorum imbecillum certarem. semper enim judicavi vim argumentorum non in numero sed in pondere consistere. Itaque relictis argumentis vulgo à Copernicanis adhibitis, sufficere judicavi demonstrationem unicam, quam ex Cartesii Principiis, eâ quâ potui brevitate,

AD LECTOREM.

te, deduxi, remittens interim Lectorem, qui eam penitus capere velit, ad ipsius Cartesii Principiorum inspectiōnem. Quod si hæc omnia fuissent deducenda, & hinc inde quadam ab Objectionibus liberanda, tota ferè Physica huic Tractatui inserenda fuisset. Ita enim cohærent consequentia cum Antecedentibus, illaque ex his fluunt, ut, quemadmodum Propositionis alicujus demonstratio in libro Euclidis posteriori, si debeat percipi, priorum cognitionem requirit, ita & hæc Demonstratio de Terræ delatione totius libri primi secundi & tertii Principiorum anticipatam notitiam postulet. Nihilominus tamen confido me rem ita declarâsse, ut qui mente attentâ & præjudiciis liberâ hanc meam demonstrationem expendere voluerit, non sit alienus à mea sententia recipiendâ futurus, saltem absurdâ quibus utraque delatio Terræ hactenus fuit pressa, quivis remota videbit. De Motu in Genere fortè nimis prolixè censebor egisse, quam præsens insti-

P RÆFAT. AD L E C T O R.

institutum requirere videatur. Ego vero quia Motus natura non ita omnibus est perspecta, volui eam ex Cartesio declarare, quam Cartesii explicationem, quia vidi ab Adversariis impeditam & obscuratam, vindicare & illustrare debui. Hæc sunt, qua te, Lector benevolè, scire volui, quibus in tuum comodum utere, & ubi veritatem in his Dissertationibus videris defensam, huic accedere ne detrecta. Vale.



I N-

INDEX

C A P I T V M E T
T I T V L O R V M

qui in hoc Tractatu continentur.

D I S S E R T A T I O N I S P R I O R I S .

- Cap. I. *Ponitur status Controversia in sequentibus decidenda.*
- Cap. II. *Quatuor argumentis sententia nostra veritas ostenditur.*
- Cap. III. *Ostenditur eadem multis locis Scriptura, qui, circa res Practicas & Morales, locutiones continent secundum opinionem hominum à veritate recedentem.*
- Cap. IV. *Producuntur Testimonia Scriptura de rebus naturalibus, eaqz accipienda esse secundum vulgi opinionem, non secundum rei veritatem docetur.*
- Cap. V. *Objectiones quadam huic nostra assertioni oppositae refutantur.*
- Cap. VI. *Alia quadam Objectiones discutiuntur.*
- Cap. VII. *Argumentis aliquot probatur Physicam ex Sacris Literis non esse hauriendam.*
- Cap. VIII. *Objectiones in contrarium adducte solvuntur & refutantur.*

INDEX CAP. ET TITVLOR.

POSTERIORIS.

- Cap. I. *De Mundi sive Vniversi extre-
mis.*
- Cap. II. *De medio sive centro mundi , ne
non circumvolutione Planeta-
rum.*
- Cap. III. *De situ & ordine pricipiorum
mundi corporum inter se. Aditu-
porro fit ad questionis de motis
Terra & decisionem per enarratio-
nem Authorum, qui hanc senten-
tiam , quam nos tuebimur , asse-
ruerunt.*
- Cap. IV. *Termini questionum proposita-
rum explicantur, ostenditur quia
Terra nomine veniat , quid iti-
dem per Motum intelligamus.*
- Cap. V. *Demonstratur , Terram deferr-
circa Solem annuâ delatione , &
circa Axem suum diurnâ.*
- Cap. VI. *Objectiones ex Scriptura contra
Sententiam nostram allata discu-
tiuntur & solvuntur.*
- Cap. VII. *Objectiones reliqua , que viden-
tur à sensu & ratione deponi-
posse, refutantur.*

D I S-